EVIDENTIA CAUSAE BOHEMICAE. QUA FERDINANDI 2. CAESARIS LEGITIMA ABDICATIO, ET...

EVIDENTIA
CAVSÆ BOHEMICÆ.

QVA

FERDINANDI II
Cæſaris legitima abdicatio,

ET

FREDERICI PALATINI
juſta electio,

Breviter & ſuccinctè demonſtrata.

1879

Anno MDCXXVI.

EVIDENTIA
CAVSÆ BOHEMICÆ.

PRODIIT anno præterito MDCXX lingua Germanica Defenſio Bohemorum, DEDVCTIO inſcripta: quâ Ordines Regni & ſociarum provinciarum à calumniis & obtrectationibus malevolorum vindicantur; & juſtitia cauſæ eorum, quâ exautorationem FERDINANDI nunc Cæſaris, & novi Regis FRIDERICI ipſi ſuffectionem, ſolide demonſtratur. *Exordium.*

Sed quia in Opere prolixiore nonnulli diſpoſitionem & brevitatem deſiderant; operæ pretium facturi viſi ſumus, ſi, quæ in illo fuſius explicantur, contraheremus, & in accuratam ordinem redacta occupationibus ab arduis negotiis ita concinne proponeremus, ut ex horum lectione animi deſiderio legendi ipſius operis accenderentur.

Status ergo controverſiæ hic eſt: NVM BOHEMI FERDINANDVM, Regem vivo Matthia Imperatore deſignatum, PROPRIA AVTORITATE FASCIBVS REGNI EXVENDI, & poſſeſſione ejus intercludendi, POTESTATEM HABVERINT? *Propoſitio.*

Quod ſi probaverimus, de ſequuta novi Regis electione nulla erit dubitatio.

Cæterum cum *nihil tam naturale ſit, quam eo genere quidque diſſolvi, quo colligatum eſt*: antequam ſuſcipiamus defenſionem juris Ordinum Bohemiæ exautorandi Reges; exquiremus prius, qua ratione hactenus Reges Bohemiæ in poſſeſſionem Regni venire conſueverint? utrum, videlicet, ex libera Statuum electione, an vero jure hereditario? *Confirmationis pars prior. l. 35. ℧ de R. I* *ab oppoſito jure eligendo.*

Hoc prætendit Ferdinandus. Quod ſi evinceret; abunde teſtatum redderet, idem jus poſteris Regum nullo pacto adimi poſſe, quamdiu ullus eorum ſuperſtes ſit.

Illam Ordines aſſerunt.

 Quo-

Quorum ubi produxerimus eam in rem documenta: refellere prætenſiones Auſtriacas non negligemus.

Quod probatur. Probant itaque Ordines jus ſuum Reges eligendi tribus potiſſimum argumentis.

1. Primo à libertate gentis ſuæ ducto.

Libertate gentis *Coſmas Pragenſ. lib. 1. rer. Bohem. fol. 3.* Quam teſtantur Hiſtorici *principio nec judicem nec principem habuiſſe: ſed, qui inter eos perſona vel moribus honoratior eſſet, ad eum confluxiſſe, & de cauſis dubiis ac illatis injuriis, ſalva libertate, diſputaſſe.*

Cujus in novis etiam illis Statutis, ſub Ferdinando I compoſitis, non exigua reſtant veſtigia. Vt ſunt,

Num 1. I. Ius legum ferundarum, Ordinibus cum Rege commune.

Num. 2. Quod ab iis in hunc uſque diem ſingulis fere Comitiis exercetur.

II. Iuramenta:

Num 3. Cùm *Regium*, ſub coronationem Ordinibus conceptis verbis præſtari conſuetum, (Statibus contra, vicem juramenti, aliis Regem propius tum adſtantibus diadema duntaxat capiti Regis impoſitum in Symbolum ſpontaneæ ſubjectionis extremis duobus digitis tangentibus, aliis vero remotioribus duobus item digitis in ſublime erectis eandem ſubjectionem conteſtantibus:)

a Num 4. b Num. 5. c Num. 6. d Num. 7. Tùm *omnium Officialium* [a] & Senatorum [b] Regni, Conſiliariorumque [c] & Vaſſallorum [d] Regiorum, non ſoli Regi, ſed Regno etiam, jurejurando ſe obſtringentium.

Quorum illud poteſtatem Regiam haud parum circumcidit, legibus Regni eum alligans:

Hæc vero Officiales & Senatores Regni ad illicita Regum cœpta connivere vetant, & non minus Regno, quam Regi obſtringunt.

Vnde fit, ut

Rex propria autoritate, citra ſuffragium Statuum,

Num. 8. 1. Nihil, quod cauſam Regni publicam concernat, in acta publica referri jubere poſſit.

Num. 3. & 9. 2. Nulla bona ſua patrimonialia aut Regni propria, allodialia vel feudalia, eccleſiaſtica vel ſæcularia, ullo titulo abs Regno alienare.

Num. 10. 3. Ad nulla bella Ordines cogere.

Num. 12. 4. Nec argento aut monetæ pro ſuo lubitu precium aut valo-

rem

nem ſtatuere. Monetarius æqua Regno ac Regi Sacramento obligatis: & probatoribus monetæ altero abs Rege, altero ab Ordinibus delectis. Num 12. Num 13

5. Nulla negotia Bohemica cum ullis alienigenis deliberare, ſed cum Supremis Officialibus & Senatoribus Regni, Adſeſſoribusque Iudicii Curialis & Cameralis Num. 14.

6. Nemini peregrino ullum officium Regni aut caſtrum committere. Num. 15.

7. Neminem incolatu Regni aut Ordine Baronali vel Equeſtri donare. Num. 16.

8. Nullum ultra annum officio aut conſiliariatu fungi cogere. Num 17.

9. Aut inconſultis Officialibus & Senatoribus Regni in locum demortuorum novos Officiales ſufficere. Num. 18.

10. Nulli ſervo alieno invito Domino libertatem date. Num 19

11. Nec damno nnius alteri novum vectigal conferre. Num. 20.

12. Nemini feudum vacaturum, citra deſignationem certæ perſonæ, quæ idem poſſidet, largiri. Num. 21.

13. Nec quenquam juriſdictione Supremi Iudicii Regni eximere. Num. 22.

14. Nec ſibi ipſi, aut ſubditis ſuis patrimonialibus, jus dicere. Sed citatus coram quovis tribunali per procuratorem ſuum comparere, & ſubditos ſuos per præfectos Satrapiis judicio ſiſtere teneatur. Num 23.

(Prout pleraque iſta omnia etiam ſolemnibus ſcriptis Regum cautionibus ſingulatim comprehenduntur.) Num 24 25.

Officiales autem exorbitanti Regum libidini aſſenſum præbere, & iniqua juſſa exequi ſub pœna capitis probibeantur. Num 1 lit. A. 17 & Num 8 lit. A 20

Quin etiam Marchionatus Moraviæ, qui Regni Bohemiæ membrum eſt, non multum diſſimili jure hac in parte utitur. Vt Statuta quidem provinciæ docent. Num 26.

Si quæras, Vnde autem illis tanta libertas? quæram ego ex te viciſſim, unde olim Romanis, Athenienſibus, Lacedæmoniis, hodieque etiam Venetis, & aliis omnibus Rebuſpub. liberis, nullius imperio obnoxiis?

Natura omnes liberos eſſe, Iura etiam Romana docent. Quam conditioné nulla gens prius exuit, quam ſubjugetur a potentiore, aut ſuapte ſponte imperium ſuum & poteſtatem in alium conferat. l. 4 D. de I. & I. l. 1. D. de Conſt. Princ.

 Secun-

11. *Exercitio I. per aliquot ſæcula continuato.* Secundum argumentum eiuſdem juris ſui ducunt ab exercitio illius per tot ſæcula continuato.

Quod innumeris exemplis docent. Nos vero hic univerſa recenſere nihil attinet. Ea tantum tangemus, quæ aperte, jus electionis Bohemos libere exercuiſſe, heredes vero Principum Bohemiæ nullum jus hereditatis in regno ſibi vendicaſſe, teſtabuntur.

In electione Conſtat ergo ex hiſtoriis rerum Bohemicarum:

1. Croci. lib 1 hiſtor. Boh fol 5. CROCUM, anno à nato Chriſto 345 in Comitiis Wyſchegradenſibus, idque (ita referente Dubravio) *non ut Principem, ſed veluti Prætorem, qui ex æquo & bono jus diceret*, electum fuiſſe

2. Libuſſæ. Pobkana inſt Boh. c. 3. Et a morte ejus minimam natu filiam LIBUSSAM. Cui duæ majores neutiquam jure ſuo ceſſiſſent, ſi hereditario regnum ſibi competere exiſtimaſſent.

Cum vero popolus tandem pertæſus eſſet imperii muliebris, nec ſatis cauſæ haberet, cur eam principatu abdicaret, electo in *3. Primiſlai* Coſmas lib. 1 fol 5. Ducem PRIMISLAO, adegit viraginem, ut eundem ſibi deligeret maritum.

Dux Boleſlaus I, qui anno Chriſti 929 interemto per inſidias fratre ſuo, Duce Wenceſlao, vi invaſit imperium, ſuperſtites reliquit duos filios. E quibus, non major natu, (ut in hereditariis *4. Boleſlai Pii.* Dubrav. l. 6. Principatibus fieri ſolemne eſt) ſed junior, BOLESLAUS PIUS, patri ab Ordinibus ſuffectus fuit.

5. Wratiſlai. Dubrav. l. 7. fol. 59. Similiter hujus atnepos WRATISLAUS, primus Rex Bohemiæ, quamvis duos fratres natu majores haberet, utrique tamen electione Ordinum prælatus eſt.

Qui etſi iterum filios quinque poſt ſe reliquiſſet, iis tamen *6. Conradi.* neglectis, frater ejus CONRADUS, Dux Moraviæ, anno MXCIII ex electione Statuum illi ſucceſſit.

Sed nec is regnum hereditate tranſmiſit in filios, quos qua- *7. Brzetiſlai II.* Bapsoczky in Genealogia Duc. & Reg. Boh. tuor genuerat: ſuffecto ipſi ab Ordinibus anno 1109 BRZETISLAO II. prædicti fratris ejus Wratiſlai maximo natu filio.

8. Wladiſlai I. Dubrav. l. 9. Cui viciſſim, non filius ejus, ſed frater WLADISLAUS I, libera populi electione ſurrogatus eſt.

9. Sobieſlai. Et huic anno MCXXV SOBIESLAUS, minimus frater: filiis illius, quos tres habuerat, excluſis.

Qui quamvis iterum tres filios ſuperſtites reliquiſſet, nemo tamen

tamen eorum, ſed prædefuncti fratris ejus Wladiſlai I filius, Wladislavs II, anno 1140 Dux electus fuit, tandem ab Imperatore Friderico in ſecundum Bohemiæ Regem coronatus.

Iſti vero ſucceſſit filius ejus ſecundo-genitus Wladislavs III.

10 *Wladiſlai II* Paprocẓky In geneolog. Duc. Boh. 11. *Wladiſlai III* Hajec. f. 184.

Qui omnes indigenæ fuerunt.

E peregrinis primus regnum Bohemiæ obtinuit Rvdolphvs Dux Auſtriæ, Cæſaris Alberti I filius. Quem electum fuiſſe, præter Bohemicos ſcriptores, Auſtriaci etiam Hiſtorici memorant.

12 *Rudolphi I Duc. Auſtr.* Cuſp Max. I. Conſuetud. in ſuis Cæſ. ſub Alb I fol. 157. Lazius Hiſt. Ferd I de migrat gent l. 4 fol. 431. ſub geneal. Landgr. Alſ.

Hunc ſequutus eſt Henricvs Dux Carinthiæ.

13. *Henrici Carinth.* Muſius hiſt. Germ lib. 12 fol 211.

Iſtum Iohannes Comes Lucemburgenſis. Quem Regnum Bohemiæ Cæſari Ludovico Bavaro titulo permutationis cedere volentem Ordines ita coram alloqui ſuſtinuerunt: Neſcimus, quo pacto à Majeſtate Veſtra hoc ſimus promeriti, ut libertates & privilegia noſtra (quæ à priſcis Cæſaribus ac Regibus obtinuimus, & ſecundum quæ Regem & Dominum nobis eligere poſſumus, quem volumus) violaret. Novit enim Majeſtas Veſtra, ſe non invitis nobis regnare, ſed ex libera noſtra voluntate atque electione.

14 *Iohannis Lucemburg.* Chron. Eivangens & Tritthemiu Hirſgau. ſub anno 1310. Hajec. fol. 287.

A morte Sigiſmundi Albertvs Dux Auſtriæ Rex Bohemiæ electus eſt.

15. *Alberti Auſtriaci* Curæus in Sileſ fol 112.

Defuncto autem filio ejus Ladiſlao Georgivs de Bodiebrad, Baro Bohemus, ab Ordinibus ſurrogatus.

16. *Georgii Bohemi.* Muſius lib. 28 fol 198.

Et huic vivo adhuc, præteritis ejus filis, Wladislavs, Caſimiri Regis Poloniæ filius, anno 1471. in publicis Comitiis ſucceſſor deſignatus.

17. *Wladiſlai Poloni.* Michon lib. 4 cap. 62.

Tot vero exemplis jus electionis Bohemicæ abunde ſtabilitum eſſe ecquis dubitet? cum prudentiæ civilis conſultorum communis opinio ſit, duos etiam (quamvis Canoniſtæ ad minimum quatuor requirant) ad conſuetudinem introducendam ſufficere actus; eandemque vim legis habere, maxime, ſi contradicto aliquando judicio firmata fuerit, Iura Cæſarea docent.

gloſ in cap. Cõſuetud. diſt 1. *II. Et contradicto judicio firmato.* l. 11. §. 1 l. 34. 38. D de V.

Et ex hiſtoriis conſtet, contendentibus inter ſe de Ducatu Bohemiæ Vlrico & Borziwaio fratribus, Henricum IV Cæſarem ad Ordines Bohemiæ eos remiſiſſe, utrum ipſi magis idoneum habilemve judicaturi eſſent.

1 Cæſaris Henrici IV. Dubrav lib. 10. fol. 72.

2 *Lotharii. Continuator Coſmæ Pragenſis.*

Ac Lotharium Imperatorem (*perſuaſum, Ducatum Bohemiæ in poteſtate Imperatoris eſſe, nec licere Ordinibus ullum alium deligere Ducem, niſi quem Imperialis Majeſtas*, ſunt verba Continuationis Coſmæ Pragenſis, *ſuæ autoritatis gratia initiaret, conſummaret, confirmaretque*) cum Ottonem Marchionem Moraviæ Ducatu Bohemiæ inveſtitum iret, Bohemi vero Sobieſlaum ſibi Ducem elegiſſent, (per cauſam proteſtationis his verbis Imperatorem affari, *Diſcretionem tuam Imperator ſcire convenit, quod* electio Ducis Bohemiæ, nunquam in Imperatoris, ſed ſemper in Bohemiæ Primatum conſtitit arbitrio. In tua vero poteſtate ſola eſt Bohemicæ electionis confirmatio, *Sine cauſa nos nova legis jugo conſtringere conaris. Scias, nos nullatenus ad id conſentire; magiſque pro juſtitia pie velle occumbere, quam injuſtis decretis cedere*) nec tamen Cæſar propoſito deſiſtere vellet, vi & armis Bohemos aggreſſum, tandem cæſo ab his libertatem ſuam vindicantibus illius exercitu, mutaſſe ſententiam, & Sobieſlaum, ab Ordinibus Ducem electum, confirmaſſe, inveſtiviſſeque.

3 *Fridrici III. lib. 8 fol. 259.*

Inſuper Gerhardus Roo in hiſtoria Auſtriaca narrat, *actum eſſe in Comitiis Ratisbonenſibus* (anno 1471) *de Bohemorum electione*, (Regis Wladiſlai, Caſimiri Regis Poloniæ filii) *& an rata haberi deberet, diſceptatum. Improbaſſe eam Pontificem, & ab hæreticis factam atque irritam fieri debere contendiſſe. Matthiæ quoque legatos, ne ea ab Ordinibus Imperii approbaretur, interceſſiſſe, quod ipſe prior electus eſſet, ac Pontificis confirmationem haberet. Principes vero pleroſque* Imperatoris judicium *ſequutos, ad Wladiſlaum promores fuiſſe. Proindeque* Wladiſlai electionem confirmatam.

lib. 2 fol. 320.

Cromerus quoque autor ſit, poſteaquam mortuo Sigiſmundo Bohemi in factiones diviſi, pars Albertum Ducem Auſtriæ, pars vero Caſimirum Wladiſlai Regis Poloniæ fratrem, Regem elegiſſent, neque aliter eadem controverſia inter iſtos duos componi poſſet, Pontificem cum Concilio Baſilienſi ſua autoritate interpoſita poteſtatem Ordinibus feciſſe, denuo utrum vellent Regem creandi.

4 *Ipſiuſque Pontificis & Concilii Baſilienſis.*

III. *Propriis confeſſionibus.*

Tertio vero probant Ordines idem jus ſuum etiam propriis Ducum & Regum ſuorum confeſſionibus, ac Imperatorum Romanorum atteſtationibus, confirmationibuſque.

Nam

Nam eum Borziwojus, à Wladiſlao I electo ab Ordinibus *Ducum Wladiſlai I.*
Duce, fratre ſuo juniore, Ducatum per legatos repeteret, hic
reſpondit, *Non eſſe rem privatam, quam Borziwojus peteret, ſed* Dubrav.
ad univerſi populi ſuffragium pertinere: *proinde haud ab
uno fratre, ſed ab omnibus Ordinibus, Principatum eſſe ambiendum: quoniam
id demum ſtabile firmumque futurum eſſet, quod communi conſilio
decerneretur.*

Et Continoator Coſmæ Pragenſis Sobieſlaum Ducem anno *Sobieſlai*
1130 in palatio Wyſchegradenſi Ordines ſic alloquutum ſe coram
audiviſſe teſtatur: *O Boemienſes Proceres, non laudo neque extollo
me, ſed veritatem dico, vero fratre meo, Duce Wladiſlao, neque
ſcuto neque alia vi iſtum Ducatum percepi, ſed Dei miſericordia, &*
electione fratris mei adhuc viventis veſtrique omnium,
*ſum adeptus: hacque ratione me juſte & rationabiliter arbitror
poſſediſſe.*

Ladiſlaus vero Alberti Cæſaris & Regis Bohemiæ filius, ac *De Regum Ladiſlai & Georgii.*
Georgius Podiebradius, in juramentis (Ordinibus, more Regibus
conſueto, à ſe præſtitis) ipſi ſibi non aliom quam electorum
Regum Bohemiæ titulum tribuerunt. Item Wladiſlaos *Num 27.28.*
Rex, Ordines Regni Bohemiæ filium ipſius Ludowicum ex li- *Wladiſlai* *Num 29.*
bera ſua voluntate Regem elegiſſe. *Atteſtationibuſque Imperatorum*

Et Fridericus II Imperator, Wenceſlaum Ottocari filium *Friderici II.*
electum Regem fuiſſe, diplomatibus ſuis clariſſime teſtantur. *Num 30.*

Atque ante paucos iſtos annos Rudolphus II Cæſar, à fratre *Rudolphi II*
Matthia Archiduce eo nomine ſollicitatus ab Ordinibus Regni
petere non dubitavit, ut hunc poſt ſe Regem deſignarent, & eligerent.
Quod cum impetraſſet, eundem fratrem ſuum à morte
ſua Regem Bohemiæ deſignatum & electum eſſe, profeſſus
eſt: ac liberam ejuſdem deſignationem electionemque
libertatibus & privilegiis Statuum fraudi cedere non *Num 31.*
debere, ſingulari diplomate cavit.

Nec Archiducem Matthiam puduit, cum Cæſarem ideo invocare,
tum Ordines prehenſare, & voti compotem ſe ex libera
voluntate Statuum Regem Bohemiæ eſſe deſignatum
ac electum diverſis inſtrumentis confiteri, eandemque

Num. 12. 13. 14.

liberam ſui electionem Statibus nulli præjudicio aut damno fore ſimiliter cavere.

Et confirmatione Philippi Suevi.

Philippus autem Suevus Cæſar, etiam ſingulari privilegio veterem illam Duces ac Reges ſibi eligendi conſuetudinem, in Comitiis anno 1200 Moguntiæ habitis, Bohemis confirmavit.

Fridericus II. Num. 35.

Cujus quoque Fridericus II in diplomate ſuo meminit: propria inſuper autoritate eam ſtabiliens.

Carolus IV. Num. 36.

Et Carolus IV in Aurea Bulla, lege Imperii publica, Regnicolas Bohemiæ in caſu vacationis jus eligendi Regem habere, aperte confitetur. Eamque ob cauſam idem Regnum à cæteris Electoratibus ſæcularibus, quà ſucceſſionem, ſecernit.

Vt taceamus inveſtituras Regum Bohemiæ, ab Imperatoribus Romanis obtentas, electionemque Ordinum ſubſequutas, ac confœderationes & tractationes cum electis Regibus Bohemiæ abs Regibus externis ipſiſque adeo Imperatoribus, Electoribus & cæteris Imperii Principibus, initas: quæ omnes evidenti indicio ſunt, electos ab Ordinibus Reges ab omnibus pro legitimis Regibus agnitos æſtimatoſque eſſe. Ac Regnum ipſum pro Regno libero, nulli hereditariæ ſucceſſioni obnoxio, habitum, teſtantur variæ variorum Imperatorum Regum & Principum Regni vacantis ambitiones, alieno Regno, ſi hereditarium cenſuiſſent, vix ita pertinaciter inhiaturorum.

Confirmationis pars poſterior. Buchan. libello de jure Regni Scotiæ. Zoanete de defenſ. p. 2. num. 100. Ab Exercitio juris abdicandi jam olim ab Ordinibus uſurpato, In Duce Borziwoyo Hajecius hiſt. Boh. fol. 71.

Et ſit adhuc, qui litem hic moveat Ordinibus? diſſiteaturve, jus electionis, per tot ſæcula ab ipſis actibus innumeris exercitum, a Ducibus Regibuſque Bohemiæ agnitum, ac conteſtationibus confirmationibuſque Imperatorum ſtabilitum, illis (ceu genti liberæ) aliquando competiviſſe? & hodieque competere?

Aut etiam electionis quidem libertatem eis largiatur, abdicationis vero poteſtatem deneget? *Cum omnes nationes, quæ Regibus à ſe electis parent, hoc communiter ſentiant, quidquid juris alicui populus dederit, idem eum juſtis de cauſis repoſcere, & imperium, quod a populo Rex habet, rurſus populum ex cauſa legitima ei abrogare poſſe.*

Quod ipſum etiam Ordines Bohemiæ jam olim non ſemel atque iterum, ſed pluries, jure ſuo uſurpaverunt.

Nam BORZIWOYUM, anno 890 Ducem Bohemiæ à ſe electum, quod ſe inſciis & inconſultis a gentili ſuperſtitione ad religio-

Google

religionem Chriſtianam una cum conjuge Ludmila defeciſſet, anno 894 ſubmoverunt imperio.

Et STYGIMIRVM, fratrem ejus, ipſi ſuffectum, eadem de causa regno pepulerunt. 2 *Stygimirus. Id. Hajec.*

WENCESLAVM quoque, Primiſlai filium, anno 1226 Regem electum, & ab Imperatore Friderico II confirmatum, quod durius haberet ſubditos, nec monitus ſævitiam remittere vellet, anno 1248 exauturaverunt, arrogato ſibi in Regem filio ejus Primiſlao Ottocaro: non ante ſententia ſua ſe dimoveri paſſi, quam ille, mores correcturum pollicitus, filii regnum in mutuem usque ſuam differri impetraſſet. 3 *Regi Wenceſlao* Num. 30

Ac HENRICVM Ducem Carinthiæ, quod rem male adminiſtraſſet, aurumque & argentum plenis plauſtris è Bohemia in Carinthiam deportari curaſſet, anno 1310 pariter multaverunt: ſubſtituto ei Iohanne Comite Lucemburgenſi. 4 *Henrico Carinthio.* Roo huſtor Auſtr. lib. 2. fol. 81.

Ut Wenceſlai Imperatoris ob exercitam in Ordines tyrannidem geminatum carcerem, & fratris ejus Sigiſmundi propter religionis perſequutionem ſedecenne exilium, ſicco pede tranſeamus.

Sed defenſores imaginarii juris Auſtriaci excipiunt. *Exceptiones adverſariorũ.*

I. Vocabulum electionis apud Bohemus eſſe æquivocum, & latius patere, quam apud alias gentes cæteris in linguis. *I. Æquivocatio vocabuli electionis.*

II. Ipſa exempla probandæ electioni adducta teſtimonio eſſe, nunquam eam liberam Bohemis, ſed ſemper ad familias Ducum & Regum Bohemiæ, adſtrictam fuiſſe. Ac *II. Adſtrictio electionis ad familias Ducũ & Regum Bohemiæ.*

III. Etiamſi olim jure ſuo eam habuiſſent, poſterius tamen ipſi abrogatam eſſe. *III. Obrogatio juris veteris*

Per ſubſequentia pacta, inter Reges Bohemiæ & Duces Auſtriæ inita. 1 *per pacta.*

Per Auream Bullam Imperatoris Caroli IV Regno Bohemiæ datam. 2 *per Auream Bullam.*

Per diſpoſitionem Regis Bohemiæ Wladiſlai. 3 *per diſpoſitionem R. Wladiſlai.*

Per ipſa denique Regni Statuta, quibus modo dicta Aurea Bulla Caroli IV & diſpoſitio Regis Wladiſlai ac diploma Ferdinandi I (quo Conjunx hujus ANNA tenore ejuſdem diſpoſitionis paternæ & ſanctionis Caroli IV heres Regni pronunciatur) confirmata apparent. 4 *per nova Regni Statuta.*

IV. *Nulla juſta abdicandi cauſa* Et IV, quamvis non minus abdicandi quam eligendi Reges Ordinibus poteſtas eſſet, tamen contra receptum unctum & coronatum Regem vibrandam non fuiſſe: nec juſte, citra omnem legitimam abdicationis cauſam, vibrari potuiſſe.

Confutatio Quæ ſingula qualia ſint, videamus.

Prima exceptionis De primo Autor Hiſpanici illius diſcurſus ſic ait. *Nec obſtat, quod Bohemi in talibus aliquando verbo electionis utantur; quia lingua Bohemica quævis Regis aſſumtio, ſive jure ſucceſſionis ſive per veram electionem fiat, verbo electionis late & generaliter ſignificatur.*

I. *Teſtimonio indigenarum & communi uſu loquendi.* At vero unde huic hoſpiti tam ſubtilis & accurata linguæ Bohemicæ cognitio? Indigena ſane nemo, qui etiam in vernacula ſua lingua ſit verſatiſſimus, vocem illam ſibi unquam niſi in ſimplici ſignificatione lectam vel auditam eſſe, aſſerere audebit.

Neque lingua Bohemica adeo anguſtis circumſcripta eſt limitibus, ut ſingulas res ſingulis nominibus exprimere nequeat. Verbi cauſa in materia præſenti, electio Bohemis eſt wolent, aſſumtio przigeti, ſucceſſio napad. Quarum vocum ut quævis propriam ſignificationem habet, ita nulla unquam pro altera ſumitur.

Et vix reperias linguam, cum qua hæc noſtra, quà fertilitatem ſignificantiſſimorum vocabulorum, contendere non ſuſtineat. Cujus rei judicium permittimus ejus & aliarum plurium linguarum peritis.

Cæterum poteſt quidem unicuique dictioni neſcio quis non affingi ſenſus: ſed non ex recens confictis priuſque inauditis interpretationibus, verum ex communi loquendi uſu, ſignificationes omnium peti ſolent.

Præterea cum quiſque verborum ſuorum optimus interpres cenſeatur, & vox illa, de qua hic controvertitur, Bohemis Ordinibus in electionibus Ducum & Regum uſurpata ſit, etiamſi alias ambiguam haberet ſignificationem, tamen hic nonniſi eam, quam Ordines illi tribuerent, ſortiri poſſet.

II. *Autoritate Hiſtoricorum* Quin ex Hiſtoricis rerum Bohemicarum, quorum pars Latine, pars Bohemice ſcripſerunt, planum eſt, ubi ibi hi iſto æquivocationis inſimulato vocabulo Bohemico wolent uſi ſunt, illos idem electionem reddidiſſe.

Et non-

Et nonnulla Imperatoria ac Regia diplomata, quamvis Latine concepta ſint, tamen electionis Regum meminerunt. In qua lingua eandem vocem à nemine hactenus ambiguitatis argutam novimus.

III Ex Cæſareorum Regiorumque diplomatum. Num. 10. 35. 17. 18.

At non eſt operæ precium futili illi & vanæ ſubtilitati diutius immorari.

Quod ſecundam adverſariorum exceptionem attinet, ita quidem res habet, quod inde à Croco Rectore Bohemiæ uſque ad Wenceſlaum III per aliquot ſæcula nemo Ducatum Bohemiæ tenuerit, qui non fuerit ex poſteris Croci, & filiæ ejus Libuſſæ.

Confutatio ſecunda exceptionis

Quin, ne quid diſſimulare aut ſilentio involvere velle videamur, ſicut Henricus Dux Carinthiæ, ita Iohannes Comes Lucemburgenſis, Reges Bohemiæ, duas ſorores modo dicti Wenceſlai III uxores habuerunt.

Et Alberto Duci Auſtriæ filia Sigiſmundi Regis nupta erat.

Wladiſlaus vero Caſimiri Regis Poloniæ filius, ex ſorore Regis Bohemiæ Ladiſlai, Alberti Cæſaris ſecundo genita filia, natus.

Ac Ferdinandus I viciſſim ejuſdem Wladiſlai filiam, ſororem Regis Ludovici, conjugem habuit.

Cujus poſteri ad hunc uſque Ferdinandum II regnavere in Bohemia.

Sed hoc ut Regnum Bohemiæ hereditarium eſſe non evincit, ita nec liberam electionem Ordinum tollit.

Ea enim eſt hereditariæ ſucceſſionis lex, ut in ea, cum proximitatis, tum ætatis, habeatur ratio, adeoque proximior gradu remotiori, & natu major minori, præferatur.

I. à natura ſucceſſionis hereditariæ.

At jam ſupra a nobis haud pauca allata ſunt exempla, ubi Ordines, libertate ſua uſi, ætate inferiores ſuperioribus, ac remotiores proximioribus, prætulerunt. Quandoque etiam, excluſa in univerſum tota ſtirpe Ducali vel Regia, extraneos prorſus Duces Regeſve ſibi delegerunt

Quod autem familiis Ducum & Regum ſuorum ut plurimum hæſerint, id vero illis fraudi eſſe nequaquam poteſt: quia etiam cæteris liberis Regnis is mos eſt, ut, defunctis Regibus ſuis, proximos eorum adgnatos ſibi Reges plerumque arrogent.

II ab exemplis aliorum Regnorum.

 Ita,

1 Dania. Ita, qui hodie in Dania Rex eſt, longam ſeriem majorum ſuorum Regum Daniæ recenſere poteſt.

2 Polonia. In Polonia poſteri Lechi per multas generationes, Piaſti familia aliquot ſæcula, & Domus Iagellonica annos prope ducentos regnavit.

3 Germania. Nec multo pauciores Domus Auſtriaca Imperium Germanicum continuo ordine tenuit.

Vt taceamus priſcos Franconiæ & Sueviæ Duces, inde à Conrado II uſque ad Conradum IV in decimam uſque generationem annos ſupra ducentos triginta Imperio potitos.

Quorum Regnorum tamen nullum ideo quiſquam hereditariæ ſucceſſioni, coram hujus Electoribus, aut Statibus illorum, propalam adſtringere audeat.

Eaque propter nec Bohemiam.

III. ab excluſione. Quam ſolutam eſſe tali vinculo, præter allegatas rationes, documento ſunt

1 poſterorum Caſchæ. 1. Poſteri Caſchæ, filiæ Croci primogenitæ.

2 poſterorum Wladiſlai I. 2. Deinde poſteri Ducis Wladiſlai I è filio ejus natu minimo Theobaldo oriundi. Vtrique & hodie ſuperſtites:

3 Rudolphi Auſtriaci lib. 3 Chron. Auſt. ſub anno C. 1307 3. Tum Rudolphus Auſtriacus, Alberti Cæſaris filius, quem Thomas Ebendorfer, Canonicus & Profeſſor Viennenſis, non tantum coronam Bohemiæ per electionem obtinuiſſe, ſed etiam filium reliquiſſe, qui ne glebam quidem terræ Bohemicæ jure hereditatis aut ſucceſſionis paternæ acceperit, refert:

4. Georgii Podiebradii. 4. Et Duces Mynſterbergenſes, à Georgio Podiebradio Rege Bohemiæ genus ducentes.

Qui omnes, ſi Bohemia majoribus ipſorum jure hereditatis obtigiſſet, lineæ deſcendenti cognatorum ſuorum extinctæ merito ſuccedere debuiſſent: Sed excluſi locum dare extraneis & alienigenis coacti ſunt, quos populus pro libertate ſua Reges ſibi delegit.

Ideoque exempla illa, infirmando juri electionis Bohemicæ allegata, eidem jure Ordinum nequidquam derogant.

IV à diverſa reſpectu. Quia, etſi nonnunquam ſucceſſerint filii patribus in Regno, aut adgnati adgnatis, non tamen filialitatis aut adgnationis ſed liberæ electionis jure Duces aut Reges facti ſunt.

Quod cum ex ſupraenumeratis avitis paradigmatibus, tum

vel

vel maxime ex electione Wenceſlai filii Regis Ottocari, Ladiſ- Num 10 18.
lai filii Regis Alberti, Ludovvici filij Regis Wladiſlai, & Mat- 29 31 32.
thiæ filii Maximiliani II ac Rudolphi II fratris, perſpicuum eſt.

Per affinitatem autem Regna etiam hereditaria (ut de liberis V.
Regnis nunc ſileamus, quale Regnum ſuum eſſe Bohemi perten- *ab abſurdo.*
dunt) ad aliquem devolvi nuſquam conſueverunt. Cum *nec in* l. 7 C Com
rebus privatis affinitatis iure ulla ſucceſſio permittatur. mon de ſuc-
ceſſion.

Henricus itaque Carinthus, quamvis Annam ſororem Regis Pulkava cap
Wenceſlai II conjugem habuerit, non ideo tamen, ſed ad ſup- 90. Mutius
plices preces uxoris & hujus ſororum flexis genibus peractas, ſuf- hiſt. Germ.
fragia Statuum obtinuiſſe, memoratur ab Hiſtoricis. lib. 22.

Nec ſtatim à morte affinis ſui, Regis Wenceſlai, eidem ſuc- Rod lib 1.
ceſſit: Rudolpho Duci Auſtriæ, Imperatoris Alberti filio, tum fol. 72 Cuſp.
ab Ordinibus Regni electo, cedere, & patienter expectare coa- in ſuis Cæ.
ctus, donec, iſto vita functo, tandem etiam ipſum Ordines ſibi ſarib ſub Al-
Regem elegiſſent. berto I f. 357
Mut hiſtor.
Germ. lib.
22 fol 212.

Iohanni vero Lucemburgenſi altera Wenceſlai ſoror nec prius Chron Hen-
deſponſa fuit, quam Rex Bohemiæ concordi Procerum conſen- ocb. lib 14.
ſu electus eſſet. fol. 142

Et Albertum cum Hiſtorici electum fuiſſe narrant, tum ille Cromer lib.
ipſe, provinciarum decreto ſe Regem eſſe, per legatos ſuos apud 21 rer. Pol.
Regem Poloniæ Wladiſlaum profeſſus eſt. Et in tractationibus Sylv hiſt.
cum adverſis ſibi Taboritis, pluralitatem veterum allegans, ur- Boh. cap. 55.
ſit, ratum haberent, quod major pars Regni ſtatuiſſet.

Cæterum Wladiſlaus, Ludovici pater, niſi ex libera Ordinum
electione Regnum eſſet ſortitus, quo jure tandem filios Regis
Georgii, cui ſuperſtiti adhuc in Comitiis anno 1471 Pragæ habi- Hajec. fol.
tis ſucceſſor eſt deſignatus, excludere? aut plus juris matre ſua, 281
nata Rege Bohemiæ Alberto Imperatore, habere potuiſſet? Hæc
enim cum nunquam Regina Bohemiæ fuit, tum nec titulum Re-
gni ſibi vendicavit: nequaquam id neglectura, ſi hereditate Re-
gnum ad ſe devolutum exiſtimaſſet. Quod tamen, ſi heredita-
rium quoque eſſet, ex ſupra dicta lege ſucceſſionis hereditariæ
non ipſi, ceu minori, longe minus filio ex ipſa nato, ſed ſorori
ipſius majori, Annæ conjugi Wilhelmi Ducis Saxoniæ, ex qua
tot ampliſſimæ Regum & Principum familiæ genus ducunt, ce-
dere debuiſſet. Ita ut hoc ipſum exemplum, non tam liberæ
electioni,

electioni, quam hereditariæ ſucceſſioni, [illegible] mandæ faciat.

Num. 37 Ferdinandus autem I cum priore illo anno 1526 Ordinibus Bohemiæ eam in rem à ſe dato diplomate aperte confeſſus eſt, ſe libera & bona voluntate Communitatis Regni Bohemiæ, juxta libertates ejuſdem Regni, Regem Bohemiæ eſſe electum: idque ab eadem Communitate, non ex aliquo debito, ſed (prout ſupra ſcriptum eſt)

Num. 19 ex libera & bona ejus voluntate factum: ita nec poſteriore, anno 1545 in vicem prioris illius Statibus obtruſo, inficiatus eſt, eoſdem Status ipſum Regem & Dominum ſibi ex libera ſua voluntate elegiſſe atque arrogaſſe.

Cætera eodem poſteriore diplomate contenta, & ad convulſionem juris electionis Bohemicæ ſpectantia, loco magis convenieute, ſive in examine exceptionis adverſariorum tertiæ, refellere non prætermittemus. Fundamentis enim ſubrutis etiam ædificium eis ſuperſtructum neceſſario ruere oportebit.

Confutatio tertiæ exceptionis. Quare, cum ſic ad hanc ſecundam defenſorum partis adverſæ inſtantiam ſatis ſuperque reſponſum eſſe arbitremur, citra multas ambages ad eandem tertiam exceptionem pariter conficiendam accingemur.

I *Generalia.* Vbi prius pauca nobis præmittenda veniunt, univerſæ illi everrendæ facientia.

Quia Principibus id non licet. *Palam enim eſt, nulli Principum fas eſſe quidquam contra leges, præſertim juratas, attentare: &, quidquid contra privilegia ſtatuta vel juramenta fiat, id ipſo jure nullum eſſe.*

Vaſqu. controv. lib. I. c. 1. num. 15. c. quia ingentibus 19 x. de privileg. Adeoque *innovationes ejuſmodi vetera jura tollere non poſſe.* Nec pacta ulla privata, ſimulataſve antiquarum legum & privilegiorum interpretationes, ſive diſpoſitiones & teſtamenta Regum, priſcum Reip. ſtatum convellentia, quidquam roboris aut firmitatis habere.

Quod probatur Reſcripto Pontificis Honorii III c. intellecto. 33. x. de jurejur. Vnde olim ante annos quadringentos Pontifex Romanus *Honorius III, cum Rex Hungariæ,* qui tum erat, *alienationes quaſdam feciſſet in præjudicium Regni ſui,* reſcripſit, *ut alienationes prædictas (non obſtante juramento, ſi quod fecit de non revocandis eiſdem, tam illicito, & in fraudem prioris, quo in ſua coronatione jura Regni ſui & honorem Coronæ ſe ſervaturum promiſiſſet, penitus non ſervando) revocaret.*

Et Io-

Et Iohannem, patrem Caroli IV, Regnum Bohemiæ titulo permutationis in Imperatorem Ludovicum Bavarum transferre auſum, inſtrumentum contractus iſtius palam in ſumma Ordinum frequentia reſcindere & lacerare oportuit.

Et Exemplo. 1 Regis Bohemiæ Iohannis Dubrav. hiſtor Boh. lib. 20 fol. 167

Imperator vero Fridericus III Albertusque & Sigiſmundus Duces Auſtriæ, cum defuncto Ladiſlao Rege anno 1458 Regnum Bohemiæ aucuparentur, vetera pacta inter Reges Bohemiæ & Duces Auſtriæ, ex quibus Regnum ſibi deberi exiſtimabant, allegarent, voto non ſunt potiti: ſed, cum iiſdem pactis ab Ordinibus rejecti, Wladiſlaum Polonum electione Statuum ſibi prælatum pati coacti fuerunt.

2 Imp. Friderici III & fratrum ejus. Roo lib. 8. fol. 197

Et quamvis Dux Bzetiſlaus, item Iohannes & Sigiſmundus Reges, de ſucceſſione heredum ſuorum in Regno Bohemiæ diſponere ſuſtinuerint: tamen, ut filius illius primogenitus Spitigneus, ita hujus gener Albertus, diſpoſitionibus parentis valere juſſis, electionis aleam ſubire, & totos ſe Ordinum arbitrio permittere, neceſſe habuerunt. Iohannis vero teſtamentum, non ex voluntate condentis, ſed ex publica in Comitiis calatis Ordinum approbatione, vires ſumſit.

3 Ducis Spitignei 4 Imp. Alberti Coſm. Prag. lib. 2 fol. 31 Cromer lib. 21 ter. Pol. Dubrav. lib. 23. fol. 229.

Quæ omnia quamvis evidentiſſime doceant, quantum vel pactis illis, vel Aureæ Bullæ, vel diſpoſitioni, ab adverſariis nobis oppoſitis, tribui debeat: tamen ad ſingula etiam illa paucis reſpondere conſtituimus.

II. *Specialis.*

Primo itaque quod duplex illud pactum (prius inter Rudolphum I & Regem Wenceſlaum, puerum ſeptennem, patre orbum, initum, ac per Albertum Imperatorem cum filio Rudolpho tum Rege Bohemiæ renovatum: & poſterius à Carolo IV cum Ducibus Auſtriæ Alberto & Leopoldo anno 1366 factum) attinet, quia tabulas illius Duces Auſtriæ Regi Iohanni & filio ejus Carolo IV reddidere, omnique juri ſuo exinde ſibi competenti ſub corporali juramento renunciavere, hoc vero, nullis amplius heredibus è lumbis prædictorum Alberti & Leopoldi Ducum Auſtriæ extantibus, (ultra quos non extenditur) per ſe expiravit, neutrum pluribus impugnare eſt operæ precium.

Primo Tabularum duplicium.

Prius renunciatum ab Auſtriacis Num. 40 41. Chron. Aulæ Regiæ lib. 1 cap. 12. *Poſterius per ſe extinctum eſt* Num. 42

Auream itaque Bullam Caroli IV adorimur, diploma Friderici II (qua electionem Regum Bohemiæ) interpretantem.

Secundo Aurea Bulla Caroli IV Num. 38

Digitized by Google

Eamque neutiquam ſubſiſtere poſſe, præter ſuperiorem generalem, ſubſequentibus etiam rationibus evincimus.

I. *a defectu poteſtatis.* Suyſtand Comment. Trevir par. 14. fol. 116. Nauci. vol 3 gen. 46.

I. Quia Carolus, cum Bullam illam emitteret, (anno nimirum 1348) teſtibus Hiſtoricis, nondum plene Rex Romanus fuit, adeoque de plenitudine Romanæ ſive Regiæ poteſtatis (quam hic obtendit) nihil facere, longe minus tam nobilis Imperii Romani membri libertatem & privilegia uno quaſi ictu evertere, potuit.

Vacante enim à Ludovici Bavari morte Imperio, Guntherus Comes Schwarczenburgicus anno 1349 Imperator electus eſt. Qui tum etiam in Carolum ob illegitime & pertinaciter uſurpatum titulum Regis Romani banno publico animadvertit.

II. *Ab ejuſdem abuſu.* Brun. conſ. feud. 12. num 41. c 15. cau 7. § 1.

II. Deinde cum plenitudo poteſtatis Regiæ ad iniqua extendi non debeat, quæ tandem æquitas eſt, privato unius hominis & poſterorum ejus commodo legem Regni fundamentalem & totius gentis libertatem ejuſmodi ſimulata interpretatione vim pati?

III. *a natura confirmationis.* Gail. 2. Obſerv. 2.

III. Quia confirmatio robor addere, non obmgare confirmato debet, aut extendi ad non petita. Et ex hac ipſa Bulla evidenter apparet, Ordines à Carolo IV confirmationem duntaxat, non interpretationem prædicti diplomatis Fridericiani, poſtulaſſe. Quam ſi omnino adhiberi oportuiſſet, tum ſpectandus fuiſſet ante omnia finis ejuſdem privilegij; qui non fuit ſtabilitio hereditariæ alicujus ſucceſſionis Regnum Bohemiæ, quæ nulla unquam fuit: ſed confirmatio, primo in ſpecie electionis Regis Ottocari ex præſcripto Philippi Regis Romanorum per annexam inveſtituram, deinde in genere juris eligendi ſibi Reges gentis Bohemorum. Quod non tantum hoc ipſum privilegium, an-

Num 33. no 1212 Bohemis datum, clariſſime teſtatur, ſed alterum etiam,

Num 30. ab eodem Imperatore poſt annos quatuor, anno nimirum 1216 profectum, quo VVenceſlai Regis Bohemiæ (filii hujus Ottocari) electio confirmatur, liquido evincit. Si enim Fridericus ita privilegium illud ſuum intellexiſſet, atque Carolus IV poſtea interpretatus eſt: nunquam ſe adhuc ſuperſtite, legem à ſe latam aut confirmatam poſt tam paucorum annorum intervallum violari, & heredem Regni eligi, maximo ejuſdem legis ſuæ præjudicio, fuiſſet paſſus, nedum communi ſive publica voluntate

tate electum eſſe, ter una eademque pagina atteſtatus.

Tandem vero legibus ita jubentibus *inſpici* etiam *debuiſſet, quo jure civitas retro in ejuſmodi caſibus fuiſſet uſa. Optima enim eſt legum interpres conſuetudo.* 117.D.de V.

IV. Denique cum quavis declaratione obſcura illuſtrari, & dubia de medio tolli, conveniat, quamvis illis literatum Friderici ſeriem eſſe aſperſam vaniſſime & fruſtra aſſeritur, tamen hoc, nec promiſſum, Bulla iſta Carolina præſtatur: ipſa declaratione longe pluribus dubiis & obſcuris, quam declaratum, ſcatente; ſibique adeo ipſi contraria, ubi ait, IV. *à vana obſcuritata imaginatione, nis nulla eſt.*

electionem Regis Bohemiæ in caſu duntaxat deficientis progeniei Regiæ,

& mox ſubdit,

vel per quemcunque alium modum vacare contigerit dictum Regnum,

ad Communitatem Regni Bohemiæ pertinere.

Quæ duo effata quomodo conciliari poſſint, &, ſi duntaxat deficiente progenie Regia electio Ordinibus competit, qui tandem ille alius modus vacationis Regni futurus ſit, nos ſane citra tantæ obſcuritatis clariorem declarationem conjectura aſſequi non valemus.

Nec ſcire, ſi ſucceſſio hereditaria vigore hujus Conſtitutionis Carolinæ in Regno Bohemiæ obtinere deberet, in quotam tandem uſque generationem aut gradum eam extendi oporteret? (Nam ſi in infinitum, in recta & obliqua linea, in maſculos & fœminas, atque ex his utrinque deſcendentes, extendenda veniret, nullus prorſus modus, nedum alius à deficiente progenie Regia, vacationis Regni daretur: quin omnis omnino electio Bohemorum, cum univerſis in eam privilegiis, juribus & obſervata conſuetudine diuturna, Aurea Bulla Imperiali ejuſdem Caroli iſto pacto fruſtra tanta cum pompa allegatis, in auras evaneſceret.) Num. 16.

Aut num jus primogenituræ prærogativam aliquam habere? & utros alteris, cognatos proximiores remotioribus agnatis, an vero hos illis (nullo propinquitatis habito reſpectu) præferri?

Quod quam intricatum ſit, vel novum illud pactum hujus

Num 41.44 45 Ferdinandi II cum Hiſpano abunde teſtatur.

Et hoccine eſt obſcura illuſtrare, ac dubia de medio tollere? vel præcidere anſam calumniandi contenta literis Friderici; aut ea interpretandi ſiniſtrè, ſeu in ſenſum reprobum declarandi? an vero non potius nodum in ſcirpo quærere?

Turpe eſt doctori, cum culpa redarguit ipſum.

V. *Abſurda.* V. Cæterum quàm vana ſit eadem Fridericiani illius privilegii à Carolo IV facta interpretatio, etiam inde planum fit, quod cum illo, tum hac ipſa Bulla Caroli, jubentur electi Reges Bohemiæ Imperatores Romanos accedere, ſua modo debito Regalia recepturi. Vnde annon liquido patet, aut omnes Bohemiæ Reges eligi debere? aut, ſi non omnes eligi neceſſe ſit, nec omnes Regalia ſua receptum Imperatores Romanos accedere teneri, cum nonniſi electi Reges, vi ejuſdem privilegii & adjunctæ Confirmationis Carolinæ, id facere obligentur? Quod tam cogitatu abſurdum, quam dictu ridiculum eſt.

VI. *Quia abrogata, idque triplicìter* Num 46 *1 per Confirmationem generalem omnium privilegiorum Regni Bohemiæ* VI. Quinimo cum ſæpe nominatus Carolus Imperator eadem autoritate, qua hanc ipſam Bullam, eodemque die, aliud diploma Ordinibus Bohemiæ dederit, quo omnia & ſingula privilegia illis confirmavit, omni diminutione & defectu ſuppleto, ac omni dubio & obſcuro, pro parte & in favorem Regni & Regum Bohemiæ in perpetuum, de ulteriori dono ſuæ Majeſtatis Romanæ Regiæ & plenitudine poteſtatis, declarato, non obſtantibus legibus ſeu edictis in contrarium editis quibuſcunque, ceu ab ipſo de dicta Romanæ Regiæ poteſtatis plenitudine revocatis, caſſatis, irritatis, annullatis, &c, ne ullius firmitatis penitus vel momenti ſint, damnatis:
Num. 15. ſæpe dicto autem diplomate Imperatoris Friderici II electio Ordinum Bohemiæ ad ſtemma Regium, ſive interitum ejus, ne verbo quidem ullo reſtricta ſit, &c, ſi quod in eo eſſet dubium, id vi modo alle-
Num 46. gatæ Confirmationis Carolinæ in favorem Regni interpretandum veniret: ideo, ex eadem clauſula caſſatoria Confirmationi expreſſe inſerta, Bulla hæc Caroli IV ea ſui parte, qua modo dicto diplomati contrariatur, nullius firmitatis penitus vel momenti eſſe poteſt.

Idque

Google

Idque eo magis, quod ſeptennium poſt, anno nimirum 1355 (volumine jurium à Carolo recens compoſitorum antiquato, & Ordinibus ab eorum obſervantia, nec non ab omnibus ſententiis, punctis & articulis, quæ & qui in dictis erant juribus comprehenſi, adeoque & ab illo, quo ſucceſſio heredum Regiorum ex deſcendenti & collaterali linea æque atque iſta vana Aurea Bulla contra Ius & libertatem Regni & Ordinum clam ſtabiliri tentabatur, ſolutis) Principibus ac Baronibus Bohemiæ bona fide promiſerit, & autoritate Regia ſtatuerit, ſuaque Regali conſtitutione perpetuo duratura ſanxerit, quod ipſe & prædicti Principes ac Barones Coronæ Bohemiæ ſubditi perpetuo antiquis & conſuetis juribus, omni impedimento ceſſante, frui pacifice & perpetuis gaudere temporibus debeant.

2 Per ſanctionem eiuſdem Caroli abl [illegible] iionem.

Codice legum Caroli natum rubrica VI Num. 47.

Et anno mox ſequente 1356 alia nova Aurea Bulla, à ſe jam tum plene Imperatore, (eoque ipſo haud paulo pleniore poteſtate, quam cum priorem illam in ſtatu adhuc ſatis dubio emitteret, pollente) &, quod firmiſſimum robur habet, cum conſenſu omnium Electorum & Principum Imperii in Comitiis calaris promulgata, ceu lege Imperii publica, priorem illam privatam, clandeſtinam & ſub & obrepticiam ſuam Bullam, præter & extra Comitia Imperii Regnique Bohemiæ compoſitam, abrogaverit: dum ipſe non tantum incolas Regni Bohemiæ in caſu vacationis juxta diuturnam conſuetudinem & continentiam privilegiorum à Divis Romanorum Imperatoribus obtentorum jus eligendi habere confeſſus eſt, ſed etiam eandem conſuetudinem & privilegia perpetuis futuris temporibus in omni ſuo tenore & forma indubiam tenere roboris firmitatem decrevit. Nam *conſtitutiones tempore poſteriores potiores ſunt his quæ ipſas præceſſerunt.* Allegata autem diuturna conſuetudine Ordines ad progeniem vel proſapiam Regiam nunquam fuiſſe adſtrictos, jam abunde à nobis eſt probatum. At quorum tandem Imperatorum (prædeceſſorum Caroli) privilegiis eadem diuturna conſuetudo Bohemis immutata coarctataque unquam fuerit, id vero nos ex patronis Domus Auſtriacæ diſcere cupimus. Aut cui quæſo bono in eadem Aurea Bulla Imperiali, ubi de

3 Per Auream Bullam Imperialem ultimum poſt promulgatam. Num. 36.

l. 4. D. de Conſt. Princ.

ſucceſſione Electorum Sæcularium agitur, Regnum Bohemiæ adeo ſollicite exciperetur, ſi non meliori, quam cæterorum Electoratuum incolæ, verum pejori conditione, & non maſculis tantum heredibus, ut alii Electoratus, ſed fœminis etiam obnoxium eſſet? Egregium ſane privilegium! ac dignum tam ſolenni & accurata exceptione!

VII *Quia clam Ordines natevu Regni privilegia ſuppoſita.* Sed ex innato Regibus affectu, ut ſi poſſint, in ſuos heredes Regna etiam libera tranſmittere velint, omnino vero ſimile eſt, eandem declarationem Carolinam cum Ordines Bohemiæ, tum Electores Imperii (quos tamen utroſque hodie illius imagine faſcinare adverſarii ſatagunt) ita olim clam habiram, ut nuperum fœdus aliquot Archiducum Auſtriæ in caput Rodolphi Imperatoris anno 1606 ictum, & novum illud pactum hujus Ferdinandi cum Hiſpano anno 1617 de ſucceſſione in Regno Hungariæ & Bohemiæ hereditaria initum, ac Imperatoris Matthiæ privata autoritate non in Regni tantum Bohemiæ, ſed totius Imperii hujuſque fundamentalium legum præjudicium & perniciem, ſine ſcitu aut conſenſu, quorum intereſt, clam confirmatum.

Num 42. Num. 43 & 44. Num 45.

Proindeque etiam Ordines ejuſdem imaginariæ declarationis Carolinæ inde uſque à prima conceptione & nativitate ejus nullam unquam habuerunt rationem. Quod ex ſubſequuta Alberti, (generi Sigiſmundi) Georgii Podiebradii, Wladiſlai Poloni, & Matthiæ Archiducis electionibus, præteritioneque uxoris & ambarum filiarum ejuſdem Alberti, planum & certum eſt.

l. 1. § 1 D. Quod vi c. 3 x. de R. I. Nec cauſa eſt, quod vel hodie eam plus moreantur. Quia, *quod clam factum eſt, nulla juſta exceptione ſe tueri poteſt.* Sive, *quod latenter aut per vim vel alios illicite introductum eſt, nulla debet ſtabilitate ſubſiſtere.*

VIII *Quia ab Imp. Rom. nulla ejus in inveſtitura Bohemiæ unquam ratio habita.* Quia ab eo tempore nullus unquam Imperator Romanus inveſtitura ſua, qua Regem aliquem Bohemiæ inveſtivit, heredes quoque ejus comprehendit. *Perſonalia* autem *beneficia cum perſona extingui*, vulgari juris eſt. Aut producant defenſores adverſæ partis aliquod documentum in contrarium. Sunt vero in cæteris Principatibus Imperii, ipſiſque adeo Ducatibus & provinciis

l 15 D Soluto l 196 D. de R. I c. 7. de R. I. in 6. Auſtriacis, innumera exempla, diverſitatem feudorum hereditariorum à non hereditariis iſto ſole clarius conteſtantia. Quam

etiam

etiam ex Richardi Cæſaris inveſtitura, Regi Bohemiæ Ottocaro de Regno Bohemiæ Marchionatuque Moraviæ & Ducatu Auſtriæ ac Marchionatu Styriæ uno eodemque diplomate facta, abunde videre eſt. Num 49.

Poſtremo, cum imaginarium & privatum hoc privilegium Carolus tunc Rex Bohemiæ ſibi ipſe dederit, qua quæſo idipſum ratione ullum robur obtinere poteſt, juribus expreſſe ſtatuentibus *inter dantem & accipientem diſtinctionem debere eſſe* perſonalem? IX. *Quia Carolus ſibi ipſi eadem Bulla nihil dare potuit* §. Sunt autē Inſt. Iur. Com. de Inſtit & c. 7. x. eod c.

Quid? quod admiſſa iſta interpretatione Carolina privilegium Friderici prorſus eluſorium redderetur, & jus ex eo Ordinibus Bohemicis quæſitum ſine ipſorum facto his eriperetur. Tandem jure electionis Bohemicæ in æternum nunquam locus eſſe poſſet, niſi forte dum cum cætero Orbe univerſo hoc etiam Regnum interiret, cum (exemplo edictorum Prætorianorum) privilegia Imperatorum, maxime univerſitatibus & Regnis collata, eluſoria eſſe minime conveniat. X *Quia per illam privilegium Friderici redderetur eluſorium.* l. 75 D de judic. & l. f. D. Nequid in loco pub.

Sed, tricis iſtis à Sophiſtis & adulatoribus Regum excogitatis valere juſſis, conferemus tandem nos ad examen Diſpoſitionis Wladiſlai: qua, defuncto Ludovico Rege filio Wladiſlai, filia hujus Anna, vigore jurium, ſtatutorum & privilegiorum Regni Bohemiæ, heres ejuſdem Regni conſtituitur. *Tertio Diſpoſitionem Wladiſlai.* Num. 50.

At quo cum fructu? Anna quippe nunquam in Bohemia regnavit, etſi maritus ejus (Ferdinandus) regno potitus ſit. Cui, nequaquam uxoris beneficio, ſed Ordinum electione, tam beatoeſſe licuit: ſupra memoratis utriſque ſuis Reverſalibus confeſſo, Status Regni Bohemiæ ipſum ſibi Regem (non Vicarium uxoris) ex libera ſua voluntate elegiſſe. I. *Quia nullum ſortita effectum.* Num. 37. & 39.

Nec mirum. Quin, ſubſiſtere potuit patris diſpoſitio tam claudibus & invalidis fulcris ſubnixa? II. *Quia lubricis nititur fundamentis.*

Wladiſlaus Rex filiam ſuam, vigore jurium & privilegiorum Bohemiæ, heredem Regni declarat.

Verum quæ ſunt illa jura? quando ſancta: Quæ ſtatuta? quando ſcita? Quæ privilegia? quando & à quibus Imperatoribus impetrata aut data? Vigore quorum ulla unquam fœmina per

ſucceſ-

ſucceſſiooem in Bohemia regnaverit? aut ab Imperatoribus Romanis de eodem Regno inveſtita ſit?

Vllis iſtius notæ legibus Regnum hoc unquam adſtrictum fuiſſe, ſat ſcimus, nemo reperiet. Eaque propter nec eſt quod miret, hanc Wladiſlai diſpoſitionem, à priſcis juribus, ſtatutis & privilegiis degenerantem, ab Ordinibus Bohemiæ deſpectam & ſpretam, nec unquam agnitam eſſe: Sicut etiam ex præſcripto ejus filia illius Anna ad regnum nunquam pervenit. Sed in concurſu etiam aliorum Competitorum ejus maritus Ferdinandus Rex Bohemiæ electus fuit.

III. *Quia contra Iura Feudalia.*
1 Feud. 8. pr.
2 Feud. 11. v. Proles
1 Feud 1 § 1. & 1 Feud 8. § 2

Clariſſimi porro juris eſt, communiter *nullam ordinationem defuncti in feudo valere*, nedum ut in præjudicium ipſius Romani Imperii tale quid attentari poſſit aut debeat. Inprimis vero *proles fœminini ſexus ad hujuſmodi ſucceſſionem aſpirare non poteſt, niſi ejus conditionis ſit feudum, vel eo pacto acquiſitum. ſive, niſi inveſtitura ita fuerit facta in patre, ut filii & filiæ ſuccedant.* Talem vero Wladiſlao nequaquam conceſſam eſſe, ſed perſonalem tantum, atque ita ad heredes ejus, nedum ad fœminas, ne verbo quidem ullo extenſam, luce meridiana clarius videre eſt ex diplomate Friderici III Imperatoris ipſi eam in rem impertito. Num 32.

IV. *Quia abſurdum.*
1 melioris juris eſſe filiam, quam filium aut patrem. Hajec. fol. 185.
Num 39.
2 & cui, quod minus eſt, non licet, licere, quod plus eſt.
Num 52
l. 21 O. de R. I.
arg l. 5 D. de ſerv. export.
l. 53 D. de Frideric IIII
Quarto Statutorum Regni.

Cæterum ſi mater Wladiſlai, filia Alberti Regis Bohemiæ, vigore jurium, ſtatutorum & privilegiorum heres Regni non fuit, ſi ipſe Wladiſlaus pater, & Ludovicus frater, tantum ex libera voluntate Statuum Reges electi ſunt, uti manifeſte conſtat; & quæ tandem jura, ſtatuta aut privilegia huic Annæ potius, quam ante ipſam patri, fratri & aviæ, Regnum hoc per cauſam hereditatis detulerunt? aut quomodo Wladiſlaus diſpoſitione ſua ipſam heredem Regni inſtituere, & ſic plus quam ipſe habuit, transferre potuit, cum ei ne tantillum quidem poteſtatis fuerit, ut filio ſuo (ceu Regi jam electo) invitis Statibus, quos vellet, tutores præficere poſſet? Vt patet ex cautione à Rege Poloniæ Sigiſmundo Ordinibus ideo data. Nam quemadmodum, *cui plus licet, non debet quod minus eſt, non licere:* ita nec, *cui quod minus eſt non licet, licere quod plus eſt.*

Aſt regerent adverſarii, quæ jura illa & privilegia ſint, in quæ adeo ſollicite a nobis inquiritur, peti debere ex Statutis Regni.

Vbi

Google

Vbi principio præmonitum te volumus, Lector, Statuta iſta Ordinibus Bohemiæ (quod contra Iohannem Fridericum Electorem Saxoniæ, propter religionis conſenſum, arma ferre dubitarent) per vim prius oppreſſis à Ferdinando I anno demum 1564 obtruſa fuiſſe, ideoque pro fundamento diſpoſitionis Wladiſlai, ætate & totis 54 annis eadem ſuperantis, allegari non poſſe: cum *leges & conſtitutiones futuris certum ſit dare formam negotiis, non ad facta præterita revocari.* Cætera judicio tuo permittentes, quantum eis tribuendum arbitratus fueris.

I. *Quod Ordinibus per vim obtruſa.*

l. 7. C. de V. c. ſin. & de Conſt.

Quæ quantum à veteribus Statutis (in quæ Ferdinandus regnum ingreſſus juravit, & quæ ſe obſervaturum, diploma te ſingulari anno 1526 15 Decembr. Ordinibus dato, promiſit) diſtent, ut tanto clarius appareat, vel unicum ejus rei dabimus exemplum.

II. *Quod à veteribus Statutis diſcrepantia.* Num. 24.

Articulus ergo de Electione Regis ſic conceptus eſt

Veteribus Statutis.

A. I.

Lex ſancita eſt, ut Rex Bohemiæ eligatur antiquitus obſervato more juxta conſuetudinem, jus & libertatem Regni Bohemiæ.

Tandem vero electo illo & veniente, debet ſupremus Burggravius modernus & futurus promittere Baronibus, Equitibus & reliquis Civitatibus, adeoque univerſæ Coronæ Bohemiæ, quod ei, de quocunque illi inter ſe, ut Rex eſſet & in Regnum veniret, convenerint, arcem Pragenſem ſine controverſia ac placide ceſſurus ſit.

Sic Novis.

A. I.

Quoties eo res devoluta fuerit, ut tenore privilegiorum hujus Regni, nempe Aureæ Bullæ Imperatoris Caroli IV & literarum Majeſtatis Regis Wladiſlai, ac diplomatis à præſenti Rege Statibus dati, Rex Bohemiæ eligi debeat, tum electio inſtituenda erit, ut antiquitus obſervatum fuit, in arce Pragenſi. Electo vero Regi venienti debet Supremus Burggravius Pragenſis præſens & futurus ſtatim poſt electionem arce Pragenſi ſine contradictione cedere.

Et præfectus arcis Pragenſis, qui nunc eſt aut poſtea

 erit,

erit, (ſi Regia ejus Majeſtas ſine heredibus decedat, donec Rex alius eligatur) qua arcem, præter ſupremum Burggravium ad neminem reſpectum ſuum habere debet. Vt juramentum ejus ſub lit. B. VII. indicio eſt.

Vetera Statuta, antiquitus obſervatum morem, conſuetudinem, jus & libertatem Regni, pro fundamento electionis Bohemicæ ponunt

Nova autem iſta, Auream Bullam Caroli IV, literas Majeſtatis Wladiſlai & diploma Ferdinandi tum Regis: juxtaq; callida heredum Regionum ſuppoſitione, quorum vetera Statuta nuſquam meminerant, jus electionis Bohemicæ nonnihil reſtringunt.

Sed expendamus paulo accuratius, quantum videlicet Correctio illa Statutorum Ordinibus Bohemis officere, & heredibus Regis commodare, poſſit.

III. *Quid obſcura.* Si cumulare litem nobis eſſet animus: poſſemus pertendere, per Auream Bullam Caroli IV eam, quam is Imperio dedit, & qua
Num. 16. electionem Regum Ordinibus Bohemiæ abſolute confirmavit, per literas vero Majeſtatis Wladiſlai eas, quas idem ſub electio-
Num. 19. nem Regis Ludovici Statibus largitus eſt, & per diploma Ferdi-
Num. 24. nandi, Confirmationem ejus jurium & privilegiorum Regni (adeoque ipſius etiam juris electionis) intelligi debere.

Sed miſſis iſtis effugiis largiamur adverſariis, per allegatam Auream Bullam, intellectam voluiſſe Ferdinandum declaratio-
Num 38 nem illam privatam Carolinam privilegii Fridericiani, per literas
Num. 50. Majeſtatis Wladiſlai, diſpoſitionem ipſius (quam vocant) de
Num 39. Anna filia, & per diploma ſuum, Reverſales ſuas poſteriores.

IV. *Quod fragilibus ſuſulta pertes: 1. Declaratione nimirum Carolina 2. Et Diſpoſitione Wladiſlai, jam ſupra refutata Ac porro refutanda.* Quæ tamen omnes utrum privilegiis Regni, quo nomine hic ipſas dignatur Ferdinandus, accenſeri poſſint, nos ſane vehementer ambigimus. Ea enim privilegiorum vulgo eſt indoles & natura, ut gratiam privilegiatis conferant, non adimant, libertatem populo aut veterem confirment aut largiantur novam, non eripiant.

Quæ autem vis ſit & efficacia cum ſæpe dictæ declarationis Carolinæ, tum literarum Majeſtatis Wladiſlai, jam ſupra oſtendimus. Quod hic nos repetere nihil eſt neceſſe.

At vi-

At videamus, utrum diploma Ferdinandi plus roboris aut firmitatis habeat. *1 Diplomate Ferdinandi* Num. 39.

Quod principio Ordinibus Bohemis inſciis ſuppoſitum fuiſſe, & cæteris ipſorum privilegiis clam immixtum, argumento eſt, *2 Cum ſub & obreptione.* quod in vicem prioris diplomatis, Ferdinando à Statibus in diæta publica anno 1545 redditi, perhibeatur Ordinibus datum. Num 37. Cujus tamen rei & conſenſus in eam Ordinum in nulla diæta Num 51 ejus anni (duæ enim fuerunt) ullum eſt veſtigium.

Deinde continet idem diploma hæc duo capita, *2 Vere abſ-miſsa aſſerte.*

1. Annam Conjugem Ferdinandi Status Regni Bohemiæ pro legitima herede & Regina, tenore jurium, immunitatum & libertatum ſuatum, (ſæpe dictæ nimirum Aureæ Bullæ Caroli IV & diſpoſitionis Regis Wladiſlai, prolixius eodem diplomate Ferdinandi commemoratarum) humiliter agnoviſſe ſuſcepiſſeque, Et

2. Eoſdem Ordines ipſum Ferdinandum quoque Regem & Dominum ſibi ex libera ſua voluntate elegiſſe atque adoptaſſe.

Ex quibus hoc poſterius eſt extra omnem controverſiam.

Verum illud quando factum ſit, ut Ordines Bohemi Annam (filiam Wladiſlai, & Ferdinandi uxorem) pro legitima herede & Regina ſua agnoverint, ſuſceperintve, accuratius inveſtigare non eſt de nihilo.

Poſteaquam enim Ludovicus Rex, frater Annæ (ut hoc ipſum diploma Ferdinandi teſtatur) anno 1526 die memoriæ decollationis Iohannis ſacro, ſive 29 Auguſti, occubuit:

Status re comperta ſub initium Octobris eodem anno Comitia inſtituunt, & cen in interregno leges nonnullas ferunt quæ Regis Bohemiæ electionem potiſſimum concernunt, & abuſum poteſtatis Regiæ in gyrum compellunt. Num 54.

Tum paucis diebus poſt eligunt ſibi Regem iſtum, de quo hic loquimur, Ferdinandum. Quam electionem eos, non ex aliquo debito, ſed ex ſua libera & bona voluntate, iuxta veteres libertates Regni, feciſſe, diplomate ſuo, eodem anno 13 Menſis Decembr. eam in rem Ordinibus dato, Num 17. profeſſus eſt. Coronatus 24 Februarii anni ſequentis.

A quo tempore regnavit idem Ferdinandus in Bohemia ad mortem uſqoe ſuam.

Quando itaque pro Regina ſuſcepta fuit Anna, quæ fata mariti integris annis decem & ſeptem antevertit? Neque enim res tantæ, quæ univerſi populi ſuffragium requirunt, in aliquo angulo, ſed propalam in Comitiis, peragi, & perpetuæ memoriæ actis publicis conſignari ſolent. Quæ contra vi aut clam fiunt, nullius roboris ſunt, nec trahi poſſunt in conſequentiam.

Quod ſi adverſarii id, quod rogamus, nos docere non poterunt, næ ipſi totum hoc diploma ſuſpectum reddent, eoque in poſterum tanto minus præſidere audebunt.

3 *Sibi ipſi contrario.* Sed habet adhuc aliquid amplius idem diploma.

Memorat enim, ideo Annam ab Ordinibus Bohemiæ pro legitima herede & Regina agnitam ſuſceptamque fuiſſe, quod Regnum Bohemiæ cum ſociis provinciis defuncto Ludovico ad eam, tanquam germanam Ludovici ſororem & legitimam heredem, tenore datarum libertatum & privilegiorum diſpoſitioniſque Cæſaris Caroli Quarti, rite devolutum eſſet.

Ubi primo iterum notanda venit contrarietas, cujus conciliationem defenſoribus hujus diplomatis delegabimus.

Paucis enim lineis ante Ludovicus nullis heredibus relictis occubuiſſe dicitur: hic vero ſoror legitima ejus heres perhibetur.

4 *Fulcimentis nihil firmioribus fulſtiminato.* Cæterum quæ tandem ſunt illæ libertates & privilegia, juxta quæ Anna heres Regni facta eſt? duo nominat diploma, Bullam Caroli & diſpoſitionem Wladiſlai. Sed cedo quæ & qualis libertas alterutra illa continetur? aut quod privilegium? Num libertas eſt, invitos parere ſexui ſequiori? Num privilegium, libidini unius familiæ perpetuo eſſe obnoxium?

Quare cum eadem Bulla nil niſi mera bulla ſit, & diſpoſitio Wladiſlai nihilo plus vigoris habeat, ut ſupra ſuis locis id prolixe probavimus: an diplomati huic Ferdinandino ullum inde accreſcet robur?

5. *Quod (dato, ſucceſſionem locum habere in Regno Bohemiæ) tamen neque ex novellis Statutis probari poſſit, omnes collaterales in infinitum, aut alias ſæminas; ad eam admitti debere.* Verum Statuta, cum allegato loco, tum aliis pluribus, heredum Regiorum faciunt mentionem, & ſacramenta nonnullorum Officialium & Vaſallorũ Regni in eos concepta ſunt. Unde facilis eſt concluſio, Regib. defunctis heredes Regios ſuccedere in Regno. ſub lit. A. 1. 2. 20. & 25. Num. 35. 36. 57.

Factum

Factum ipſum non negamus, ſed nullum & invalidum eſſe dicimus. Nam conſtat, hoc recens à Ferdinando I contra Regni Iura, libertatem, & privilegia, contra ipſum adeo Iuramentum ſuum Ordinibus præſtitum, Statutis attextum. Quod, cum collatio veterum Statutorum cum novis iſtis, tum etiam juramenta Præfectorum Marchionatus Moraviæ in nullos heredes extenſa, cumprimis evincunt. Ridiculum autem profecto foret, membrum eſſe liberum, caput ipſum ſervum. Num 26.

Deinde dicimus, in vocabulo heredum magnam latere ambiguitatem. Nomine enim Bohemico dieduz, (ſive heres) cujus hoc loco fit mentio, de Iure Provinciali Bohemico non veniunt niſi ſui heredes. Extranei autem napadnizy (ſive ſucceſſores) dicuntur. Quod ex Conſtitutione ſub lit. I. 52 poſita clarum eſt. Qua ſtatuitur, ſi quis inteſtatus ſine heredibus decedat, & habeat fratrem conſanguineum extraneum, tum huic napadem (ſucceſſione) bona illius cedere debere. Vnde manifeſto conſtat, nec fratres conſanguineos extraneos heredum nomine de Iure Bohemico cenſeri; ſed ſolos, ut ſupra diximus, ſuos ſive domeſticos heredes. Quin neque hos omnes, citra diſcrimen ſexus, ſed ſolos maſculos: Conſtitutionibus Regni ſub lit. F. 17. ſic rem definientibus. Num 58.

Quemadmodum etiam abſque eo in feudis per heredes nonniſi maſculi intelligendi ſunt. 2 feud 14 §. 2 verſ profecto

Vnde Burggravii Caroloſteinenſes jurant quidem Regi & heredibus ejus, ſed in ſtrictiſſima hac ſignificatione, ſalvis inprimis Regni Iuribus, inter quæ libera electio omnium eſt primum & præcipuum. Num 57.

Et Præfectorum Senatorumque Regni ac Conſiliariorum Regiorum juramenta in Regem (qui tum fuit) Ferdinandum & qui poſt eum futurus eſſet Rex, (non Regina) concepta ſunt. Num 4. 5 6.

Atqui inſtabunt adverſarii. Quidquid ſit, vi modo commemoratorum Statutorum Ferdinandinorum Regnum Bohemiæ non eſſet ab omni hereditaria ſucceſſione liberum. VI *Quod Bohemi & Regi ipſorum nulla Statuta in præjudicium Imperii condere licuerit.*

Sed poſito, præter Regem, etiam Ordines calculo ſuo ea approbaviſſe, quod tamen more majorum rite factum non eſt: tum nova hic ſuborietur quæſtio, an videlicet id utriſque, hoc eſt, Regi & Ordinibus, clam Electores & Principes Imperii, integrum

 fuerit?

l.5 ſub f C. de aut præſt c.29. de R.I. in 6. Num 30.49 51.59. fuerit? *Quod enim omnes tangit, ab omnibus comprobari debet.* Cum ergo extra omnem controverſiam Bohemia nobile feudum ſit Imperii, de quo Imperatores Romani Reges Bohemos, citra ullam beredum mentionem (contra quam in feudis hereditariis fieri ſolemne eſt) inveſtire conſueverunt, quomodo iidem Reges in fraudem & præjudicium Imperii heredes ſuos ſibi ſucceſ-
2. Feud 8. §.1 in f. 2. Feud.14. §.2 verſ.profecto 2. Feud.14. pr. ſores in Regno deſignare, eoque conditionem feudi (quod alias vaſallo per leges prohibitum eſt) deteriorem facere poterunt? Iuribus aperte ſtatuentibus, *Si quis Regali aliqua dignitate inveſtiatur ab Imperatore, quod ille tantum debeat habere, heres autem nullo modo ſuccedere.*

Quare quidquid hac in re Bohemi cum Regibus ſuis, citra totius Imperii conſenſum, privatim ſanxerint, id vero Imperio fraudi cedere nulla ratione debet aut poteſt, ceu per ſe invalidum, inefficax & inutile.

Pro quali etiam niſi ab ipſo Ferdinando I habitum fuiſſet,
Num 60 quid opus erat tam operoſe ſollicitare Ordines Bohemiæ ut filio ejus primogenito Maximiliano II *juxta privilegia & libertates ſuas* nomen, titulum & dignitatem Regis Bohemiæ uſurpandi facultatem concederent?

Niſi abs hujus quoque filiis, Rudolpho & Matthia, tantidem
Num. 31.32. habitum, eut ab utroque Ordines, ut iſtum ſibi Regem eligerent deſignarentque, prehenſati?

Cur denique, ſi hereditaria ſucceſſio hic locum habere debet, Matthiæ (præ fratribus ejus Maximiliano & Alberto, tum adhuc ſuperſtitibus) Ferdinandus nunc Cæſar in Regno Bohemiæ ſucceſſit?

Num. 43.44. 45 61. Aut cur idem Ferdinandus per novum illud pactum cum Hiſpano initum fratres ſuos Leopoldum & Carolum ab omni prorſus ſucceſſione excluſit?

Itane vero Archiducibus dictaturam ſine populi ſuffragio gerere, & tam Imperii, quam Regni Bohemiæ leges fundamentales ſuo arbitratu impune violare, unique ſoli datum in infinitos traſmittere, aut etiam pro ſucceſſore Regni lege publica deſignato alium, etiam hoſtem forte, aut tyrannum, ſubſtituere, fas eſt?

Num 4 & 27 Num 24 & 25. Diverſum longe docent juramenta Regia, & obligationes Statibus ab iiſdem præſtari ſolitæ. quæ vel quas violare, & *ad publicam*

publicam utilitatem introducta in privata convertere commoda, nulli Principi licet. Quantum vero tyrannus à bono Principe diſtet, non eſt hujus loci diſſerere.

Vasq. I contr. 10. n. & 19 n.

Atque ſic videmur nobis ad tertiam quoque adverſariorum exceptionem ſufficienter reſpondiſſe: & cum utrumque objectorum pactorum expirationem, tum Aureæ Bullæ Caroli IV diſpoſitionisque Wladiſlai & diplomatis Ferdinandi vanitatem, ac Statutorum Regni in tribus iſtis lapidibus fundatorum imbecillitatem, examuſſim oſtendiſſe.

Nunc itaque juſto ordine ad quartam & poſtremam eorundem adverſariorum noſtrorum exceptionem progredimur. Quam ſi pariter, atque ſuperiores tres, eliſerimus: nihil erit reliquum, quam ut, poſt tot conflictibus ſuperatos hoſtes, vel invitos victrici veritati manus dare adigamus. Quod ſi illi contra conſcientiam diutius hanc premant, non tamen oppriment, quin toti Orbi Chriſtiano ea ſit futura conſpicua.

Confutatio quartæ exceptionis.

Sed videamus ante, quam legitime Ferdinandus II ſit Rex Bohemiæ deſignatus?

Primo quam ipſa deſignatio Ferdinandi vitioſa.

Matthias Imperator anno 1617 vocatis prius ad ſe Pragam Maximiliano & Ferdinando Archiducibus, reque cum iis jam deliberata & plene concluſa, Comitia Ordinibus ad Nonas Quintiles conſcribit,

1 Quia prius concluſa ab Imperatore cum Archiducibus, quã Ordinibus deliberanda propoſita.

Et congregatis proponi curat, ſe, quia naturalibus liberis careat, filium Ferdinandum arrogaſſe, quem cupiat ſibi in Regno ſucceſſorem deſignari.

Mox recitantur diplomata Archiducum Maximiliani & Alberti, fratrum Matthiæ, quibus ij omni juri ſuo, quod in regno habere poſſent, ceu in Ferdinandum ſponte ſua translato, renunciant.

Num 45 ibi, hoc ipſa de cauſa ad nos acceſſit. Num 62.

Poſtero die Ferdinandus à præſentibus in prætorio Ordinibus ſucceſſor Matthiæ deſignatur, &, cum Imperatore atque Archiduce Maximiliano Comitia ingreſſus, Rex proclamatur: coronationi etiam certa die ad 3 Kalend. Sextil. deſtinata, & prædictis ambobus diplomatibus cæteris privilegiis Regni apponi juſſis.

Omnia ſatis callide: ſed contra priſcum morem, in legum libertatiſque Bohemorum convulſionem.

Neque

Neque enim ita pridem (anno nimirum MDCX) abs Rudolpho Cæſare & Ordinibus ſancitum erat, ut, quotieſcunque in poſterum ab ullo Rege conſcriberentur Comitia, poſt definitionem rogationum Regiarum publica univerſorum vel etiam privata ſingulorum negotia in conſilium vocare, deliberare & concludere Ordinibus integrum eſſet: nec prius Comitia ſolvi poſſent, quam eadem una cum rogationibus Regis expenſa expeditaque forent.

1 Quin contra recens latam legem in Comitiis ejuſdem cauſa evocatis, cuipiam negotia publica in conſilium vocare interdictum. Num. 61 Num. 62.

Verum edicto publico, quo Status ad ſupra dicta Comitia à Matthia convocabantur, quidquam aliud præter deſignationem ſucceſſoris, ob quam ſolam & unicam eadem Comitia indicta eſſent, tractari inhibebatur.

Et quamvis liberam Regis eligendi poteſtatem Ordines habere, ipſumque adeo Imperatorem Matthiam (germanum Regis Bohemiæ filium & fratrem) ante perquam paucos aliquot annos *libera Statuum electione* idem Regnum eſſe conſequutum, non ignoraretur; tamen Ferdinando huic novus quidam titulus regni acquirendi quæſitus, vix ullis antea hereditariis etiam Regnis, qua ſucceſſionem Regum, uſurpatus: eo fine, citra omnem dubietatis aleam, ut idem Regnum non modo hereditarium eſſe, ſed etiam pro arbitrio Regum in quemcunque extraneum titulo adoptionis transferri poſſe, exiſtimaretur: ſummo præjudicio non ſolum Regni Bohemiæ, ſed & Imperii, cujus illud feudum eſt. Nam hactenus adoptionem ullum obtinere locum in feudis, nuſquam gentium fuit uſitatum. Et, ſi uni Electorum id liceret, cur cæteris eſſet prohibitum, non intelligimus. Sed iſto pacto nunquam ullum Electoratum Imperio Sacro vacare, & Imperatorem ex præſcripto Aureæ Bullæ Caroli IV de ipſo (tanquam de re ad ſe & Imperium legitime devoluta) providere, contingeret.

2 Quin novus titulus regni acquirendi Ferdinando quæſitus, nullis antea hominum ſive ex ſtatutis, ſive ex hiſtoriis regum Bohemicarum, aut unico ſimili exemplo cognitus. Num. 31.32.

Num. 36.

Prædicta autem diplomata Archiducum ita circumſpecte ex Æquivocationis arte concepta erant, ut cum affectata hereditaria Regni ſucceſſio per ea ſtabiliretur; tum, ſi Ordines nullum jus in Regnum Bohemiæ Archiducibus eſſe contenderent, reſponderi poſſet, neque hoc ſimpliciter eadem diplomata dicere, ſed jus, quod habere poſſent, Archiduces Ferdinando cedere. Quare, cum æque ac Ordines liberã electionem, ita Archiduces heredi-

hereditariam ſucceſſionem, prætendant, res autem inter partes nondum ſit liquida, indefinitam illam enunciationem (qua neque jus aliquod habere neque non habere Archiduces ſtatuetur, præſertim cum, ſi quod etiam haberent, ei renuncient) ut Ordinibus nihil præjudicare, ita Archiducibus prætenſi juris cauſa, citra rei inter partes compoſitionem, non omnino negari poſſe. Cum ex mente Archiducum illa ipſa verba longe aliud ſibi vellent. Nam, quia Matthias Rex Bohemiæ id temporis vixerat, certum erat neutri fratrum ejus etiam ex ſenſu ipſorum quidquam juris tum adhuc in Regnum fuiſſe. Ceſſerunt itaque formula illa Ferdinando jure ſuo, quod, defuncto fratre Matthia ſine liberis, ſe habere poſſe, ſive habiturum eſſe, exiſtimabant.

Quæ ſingula etſi ſupremos Præfectos & Senatores Regni diligentiſſime examinare, neve Reſpublica ullum detrimentum pateretur & libertas Ordinum periclitaretur præcavere, decuerat: nonnulli tamen patriam æternæ potius ſervituti obnoxiam reddere, quam liberum Evangelicæ religionis exercitium in ea tolerare malentes, alii vero largitionibus & magnificis promiſſis dementati, cum ipſi (immemores ſacramentorum, quibus Regno obſtricti erant) hereditariam ſucceſſionem aſſertum, eligendique poteſtatem (Ordinibus antiquitus competentem, & ſupra a nobis plus ſatis probatam) manibus pedibuſque everſum, iverunt, tum alios quoque vel blanditiis & pollicitationibus in ſuam pellexerunt ſententiam, vel tanto atrocioribus minis coëgerunt: quam plurimis, ne rei indignitatem ſuffragiis ſuis comprobare neceſſe haberent, Comitiis ſe ſubtrahentibus.

4 Quia ſuffragia non erant libera: ſed vel precibus cum precio, vel minis, extorta.

Præmonebatur enim nequiſquam futuræ deſignationi ſe opponere ſuſtineret, qui biceps non eſſet, nec alterum caput cum fortuna præſentiſſimo periculo objicere ſecure poſſet. Et non unus, quod liberius dixiſſet votum, dignitate (quam habuerat) mox poſt Comitia privatus eſt.

Univerſumque coronarium, novo Regi pro more ab Ordinibus decretum, ab eodem in paucos aliquot libertatis patriæ mangones, ob egregie ſibi ea in re navatam operam, liberaliter erogatum.

Sed ſi Statibus libera non ſunt ſuffragia, verum quod liberimperari, aut ſucceſſor Regni ſolius Regis autoritate imponi poteſt,

E cur

cur ergo Comitia rem deliberandi cauſa conſcribuntur? cur vota ſingulorum rogantur, & colliguntur? neutrum certe dicis tantum gratia & pro forma (quod ajunt) fieri exiſtimandum eſt.

c. 64. de R. I. in 6. c. 1 & 9 diſt. 79. c. 29 x. de elect. c. 3 verſ. Cæterum. de elect. in 6. c. 32. x de elect. Chron Boleſlav.

Quocirca cum tot & tantæ hic concurrant enormitates; ipſique Canones Pontificum ſtatuant, *quæ contra jus fiunt, utique pro infecta haberi debere*: non poteſt eadem deſignatio, tanquam *contra normam & formam privilegiorum facta*, non irrita cenſeri, quia *libertas deſignandi in ea Ordinibus ademta. Pernicioſa enim res eſt exemplo, ut quis per ſurreptionis aſtutiam aſcendat ad apicem dignitatis.*

Vnde factum, ut, cum anno MXCVIII Henricus IV Imperator in Comitiis Ratisbonenſibus Ducem Borziwojum, à patruo Brzetiſlao rerum Bohemiæ potito non ſine aſſenſu nonnullorum Procerum ſucceſſorem regni deſignatum, diplomate Cæſareo confirmaſſet, reliqui Ordines, re cognita, nolentes liberæ electioni ſuæ exemplo illo præjudicatum, Borziwojo deſpecto, Swatoplukum Ducem ſibi elegerint. Cumque interrogati à Cæſare, *Cujus autoritate Borzivvojum expuliſſent, quem antea elegiſſent? nihil ſibi de iſta electione conſtare (quoſdam enim ſine Communitate ipſum elegiſſe, ideirco ſe,* legatos Ordinum ad Cæſarem, *cum Communitate eum pepuliſſe) reſpondiſſent; Cæſar etiam* (priori ſua Ducis Borziwoji confirmatione abolita) *Svvatoplukum Ducem Bohemorum pronunciaverit:*

Et, Swatopluko in expeditione Henrici V Imperatoris contra Ducem Poloniæ Boleſlaum ſuſcepta cæſo, frater ejus Otto à Nobilitate Bohemica tum in caſtris Cæſareis præſente Princeps Bohemiæ electus & ab Imperatore confirmatus pari in cauſa parem quoque ſortem cum Borziwojo expertus ſit.

Secundo, Quia conditionata.

Verum-enim-vero, ponamus Ferdinandum fuiſſe rite electum, & in deſignatione nihil uſquam deſiderari poſſe; nihilominus tamen, quia, in coronatione ſua ſancte juravit,

Num. 1.

1. Se Ordinibus leges, privilegia, libertates & conſuetudines Regni illibatas ſervaturum,

2. Abs Regno nihil alienaturum, ſed pro virili potius id ampliaturum,

3. Et, quidquid commodo aut honori ejus cedere poſſet, facturum;

Scripto-

Scriptoque etiam cavit,

1. Se vivo Matthia regnum non uſurpaturum,

2. Sin faceret, Ordines ei amplius non fore obligatos:

Cum idem ſuum juramentum & cautionem non una ratione prior violaſſet, conditionata illa ſui deſignatione propria culpa excidit, & Ordinibus, cum rejiciendi ſui, tum novi Regis eligendi, largam anſam præbuit. Quia *cum obligationis vinculum ſolvitur ab uno, tunc & alter, cujus reſpectu contractum eſt, continuo liberatur.* *Et conditionibus acceptis contravenit.* Althuſ polit. 38. n. 30.

Ac Regem etiam, *contra conventionis pacta facientem, ipſo jure & facto omnem poteſtatem amittere,* Vaſquius Hiſpanus, *in ordinemque cogi, & juſtiſſime deturbari poſſe,* Zoanettus Conſiliarius Bavaricus, docent. 1 Illuſtr. Contr. 1. n. 18 19. Tractat de Imp Rom n. 92. 93. 94.

Sed ne forte fumos lectori vendere, & Ferdinando culpam, cujus tamen ipſe exſors ſit, affricare videamur: paucis demonſtrabimus, quomodo ſupra indigitatum ſacramentum, quomodo item cautionem illam ſuam de non uſurpando ante obitum Matthiæ Regno, prophanaverit.

Vbi merito ſuo primas tenet pactum illud, toties jam à nobis hic commemoratum, inter Ferdinandum Archiducem & Regem Hiſpaniarum Philippum III anno 1617 die 6 menſis Junii (priuſquam adhuc Ferdinandus ſucceſſor Regni deſignatus eſſet) initum, & ipſo die coronationis ejuſdem Ferdinandi ab Imperatore Matthia Cæſarea ac Regia autoritate ratificatum, ex eoque tempore dubio omni procul ab eodem Ferdinando (ex ſpeciali lege eidem pacto inſerta) ſolenniter de novo confirmatum: quo 1 *Quia per pactum illud non pars aliqua, ſed totum Regnum alienatum.* Num. 43 44. Num. 41. Ibi, Obligamus nos præſentes, quod intra terminum ſex menſium &c.

1. non ignobilius aliquod membrum, principatus aut provincia contra Statuta Regni alienata, ſed univerſum Regnum uno momento (inſciis, nedum conſultis, Statibus) in alienigenam jure hereditario tranſlatum, æternæque ſervituti mancipatum:

2. Non libera tantum electio abolita, ſed etiam ipſi illi imaginariæ ſucceſſioni vehementer obrogatum, dum proximiores agnati (& quidem maſculi, conſanguinei utrinque Ferdinandi fratres Leopoldus & Carolus) cum omnibus ſuis poſteris utriuſque ſexus ab eadem ſucceſſione excluduntur.

Chepp de doman Fric. lib. 2. c. 1 n. 2 & 6
Bruekm de ſolut poteſt c. 4 eff. 6. n. 314 & ſeq.
Vaſqu. 1 illuſtr. contr. 5
Curt tr. feud par. 6. c. 1. n. 4.
Crav. conſ. 241. n. 9
Clar. rec. ſent. 9. 28. n. 1 § feudum.
Vaſqu. 3 illuſtr. cont. 81 n. 6 7 9. & ſeq.
Nevir feud. conſ. tr. n. 31.
2. Feud. 55. § 1. f.
2. Feud. 31. f.

Cum prudentiæ civilis conſulti ſtatuant, *nulli Monarchæ ſacrum Coronæ patrimonium minuere per jus Regum integrum eſſe.*

Quia *non in marſupio Principum ſunt Regna: ſed Reſpublicæ rerum ſuarum proprietariæ & dominæ exiſtunt.*

Et *ſi Princeps talem alienationem attentet, quod omne ſuum amittat dominium. Præſertim cum certis conditionibus & legibus* (qualibus hic à Bohemis Ferdinandus) *receptus fuerit. Iis enim neglectis vel violatis, omni jure liberum & licitum eſſe populo, ſe in priſtinam libertatem vel clam vel vi vel armis recipere: ac id genus nodos Gordios, patriaque pernicioſas alienationes, & irreparabilia damna, etiam ferro reſcindere.*

Quin ſi *Dominus feudum ſine voluntate vaſalli ad alium transferre* (adeoque vaſallus alium Dominum habere compelli) *non poteſt: & ſi quis faciat inveſtituram vel cambium* (ſive permutationem) *de beneficio ſui militis ſine illius conſenſu cujus eſt beneficium, pro non facto habetur*: quis adeo ſtupidus eſt, & ita omni prorſus rationis lumine orbatus, ut non videat, quod longe minus in Regnis, maxime liberis, id obtinere valeat?

Vt cætera taceamus, quæ non Bohemos duntaxat, ſed Hungaros etiam, ſumma diligentia expendere, &, ſi ſaluti libertatique ſuæ conſultum volunt, ſtructis inſidiis mature obviam ire convenit.

Num. 43. 44. Nam Regnum Hungariæ, non minus quam Regnum Bohemiæ, hereditariæ ſucceſſioni Archiducum Auſtriæ eodem pacto adſtringitur: & Ferdinando ſine heredibus maſculis defuncto, in Hiſpanum (inconſultis Ordinibus) transfertur.

Nam & Ferdinandus Archidux & Regis Hiſpaniarum Orator aperte confitentur,

1. Matthiam Imperatorem de futura ſucceſſione Regnorum ſuorum Hungariæ ac Bohemiæ mediante iſto pacto proſpicere voluiſſe:

2. Hiſpanum renunciaſſe juri ſuo, quod, tanquam unicus Annæ Hungariæ & Bohemiæ Reginæ pronepos, in ſucceſſione dictorum Regnorum habuerit:

3. Ferdinandum conſenſiſſe, ut linea maſculina Catholicæ ejus Majeſtatis in hac ſucceſſione dictorum Regnorum fœmininam paternæ illius ſtirpis præcedat:

4. Vtrum-

4. Vtrumque paciſcentem renunciaſſe & derogaſſe juribus, privilegiis, conſuetudinibus, ſtatutis, decretis & obſervationibus quibuſvis prædictorum Regnorum, quæ in contrarium eſſent.

Et Imperator Matthias in ſua confirmatione addit, Archiduces quoque Maximilianum & Albertum, quod in Hungariæ & Bohemiæ Regna habuiſſent vel habere potuiſſent jus, Archiduci Ferdinando reſignaſſe ceſſiſſeve. Num 61.

Quin ipſi etiam vos Imperii Germanici Proceres niſi in eandem ſervitutem, quam in Bohemos Auſtriaci nunc exercent, delabi velitis, hic habetis, quod ſedulo advertatis: quia, modo dicta Confirmatione Matthiæ,

1. Domus Auſtriaca non tantum Auguſta prædicatur, adſtricta vocis Imperatoriæ dignitate ex ſola electione uni tantum perſonæ competente toti familiæ Hiſpano-Auſtriacæ:

2. Sed omnino Majeſtas quoque ei tribuitur, quæ ſolius Imperatoris propria,

3. Et huic continuandæ ac perpetuandæ certa ſucceſsio ſtabilitur.

4. Idque pro ſingulari in religionem Catholicam (notate Electores & Principes Evangelici) Auguſtamque Domum Auſtriacam amore,

5. Autoritate Imperiali & Regia,

6. Re cum ſolis Hiſpaniarum Rege Maximilianoque Num 41.
& Alberto Archiducibus deliberata, prætereaque nullo Imperii Principe conſulto:

7. Et is (quem ſupra diximus) ſucceſſionis ordo pro lege Num. 41.
ſtatuitur,

8. Ita equidem, ut nihil à futuris Imperatoribus in Num. 61.
contrarium ſtatui aut decerni debeat.

Nam ſi putatis per Majeſtatem Domus Auſtriacæ ſolam illam, quæ ipſi ex Regnis Hungariæ & Bohemiæ acceſſit, intelligi, vehementer fallimini.

Matthias certe in dicta Confirmatione generaliter loquitur

de Majeſtate Domus ſuæ Auſtriacæ, quam eadem Divinæ Majeſtatis conceſſu ac munere conſequuta ſit. Et Auguſti nomen Bohemiæ & Hungariæ Regibus proprie non competit.

Num 48. Et conſpiratio illa Archiducum Auſtriæ in caput Rodolphi Imperatoris anno MDCVI facta vos diverſum docere poteſt.

Quemadmodum enim hoc poſteriore pacto Regna Hungariæ & Bohemiæ, ita illo fœdere ſeu potius conjuratione Sacrum Romanum Imperium hereditariæ ſucceſſioni obnoxium reddi adlaboratum eſt: ut quo, cum Cæſar Rodolphus (nulla Electorum prævia cognitione aut ſententia) privata cenſura quatuor Archiducum (Matthiæ & Maximiliani, hujuſque Ferdinandi ac Maximiliani Erneſti, fratrum & patruelium) imperio impar decernitur; tum Matthias Rodolpho, ut natu maximus, ſucceſſor deſtinatur, ea lege, ut, ſi Sacrum Romanum Imperium de eligendo Romanorum Rege deliberaret, dicti Archiduces omnes in unicum iſtum (quem natura poſt Imperatorem ex ſenſu ipſorum primum dediſſet) conatus ſuos impendere, & alium nullum promovere, ſibi mutuo ſe obſtrinxerint.

Vnde facilis eſt concluſio, annon eadem Domus Auſtriaca (præ Electoribus Imperii) cum eligendi Cæſares, tum abdicandi facultatem ſibi arrogatum eat: Imperiumque, eadem qua Hungariam & Bohemiam æquitate, ſibi hereditarium effectum.

Præterimos jam inter Matthiam Cæſarem, & Maximilianum Archiducem, ejus fratrem, acta de ſucceſſione hujus ipſius Ferdinandi, non tantum in Regna Bohemiæ & Hungariæ, ſed ipſum adeo Romaoum Imperium: cujus deſignationem Matthiæ liberam eſſe Maximilianus vult, & agnatis à Ferdinando ſingularibus pactis ideo cavendum eſſe monet. Quo quid apertius eſſe poteſt, Auſtriacos non minus de Imperii Germanici faſtigio, quam cæteris Regnis, paciſci, & crepta Electoribus Imperii libertate Imperium hereditarium reddere? Hæc enim diſcuſſerunt alii, & res ipſa ad Electores & Imperii Principes pertinet.

In Speculo proſcript. in Myſterio iniquitatis, & aliis ſcriptis.

Quod ſi Huogari & Principes Germaniæ hæc gravius ferunt: nec Bohemis haud dubie vitio vertent, quod inſueti ſervitutis intolerabile jugum cervicibus ſuis per hoc pactum imponi paſſi non ſint.

Vt non examinemus nunc, utrum Ferdinandus & Hiſpanus

mutua

mutua illa ſua renunciatione juribus & privilegiis, conſuetudinibuſque, ſtatutis, decretis & obſervationibus Regnorum Hungariæ & Bohemiæ quidquam derogare, aut Imperator etiam Imperiali ſua vel Regia autoritate, inconſultis Electoribus ac cæteris Principibus, ullam legem ſtatuere, juxtaque ſucceſſoribus ſuis ejuſdem mutationem interdicere, valeat. Cum *par in parem* c. 20 x. de elect.
non habeat imperium. Nec prædeceſſor ſucceſſori ſuo, pari poſt eum, imo eadem poteſtate, futuro, ullum præjudicium generare poſſit. Et conſtet, cum Imperatorem electum, tum Reges Hungariæ & Bohemiæ V. Cancell. Hiſp Num. 1
in leges prædictorum Regnorum (antequam coronentur) jurare art. 2
ſolere: quas ſalva fide ſua ſacramento firmata ipſos privatim ex- Num. 3.
tra Comitia abrogare poſſe, nemo cordatus ſtatuet.

Ordines quidem Bohemi habent poteſtatem Rege conſcio Num. 1 ſub lit. Z 4.
corrigendi & augendi leges: Sed Regi inſciis Ordinibus nec veteres abolendi, nec novas ferundi uſpiam Statutis Regni facultas permiſſa eſt. Nedum ut peregrinus aliquis (qualis, ante ſui deſignationem Ferdinandus, & Hiſpanus, Bohemis fuere) ulla imaginaria ſua renunciatione tantum autoritatis ſibi vendicare queat.

Alterum regni, à Ferdinando mox poſt coronationem 2 *Quia in religionem ante poſſeſſionem Regni obtentam ſævitū.* Num. 64.
(antequam ulli adhuc motus exorti eſſent) autoritate privata uſurpati, non leve argumentum eſt, quod paſſim religionis exercitium inhibere ſuſtinuerit.

Vnde facilis eſt conjectura, cujus auſpicio gravis illa perſequutio religionis à coronatione ipſius in dies gravior extiterit.

Cujus rei illuſtria documenta ex majore Ordinum Bohemiæ Apol Num. 33 34 35 39.
Apologia petere licet: quæ hic ſingula ordine recenſere, lon- 37.38.41 42.
gum eſſet. 43 45 47 48 49 51. Num. 33 art 22 24.

23 24.28 27 29. N 34 lit C tit Sartores tit Pagus Koptiez. t Pagus Skyriez. t Pagus VVelbludiez. & tit. Pagus Tſchepemo Num. 96 97 98. 99 90 91 92. 93 94. 96. 111. 119 120 131 133.

Huc accedit (tertio) Cardinalis Cleſelii captivitas. 3 *Quia, per captivitatem Cardinalis Cleſelii, cum in ipſum Regem Bohemea nimum præſidenter, tum vero conſequenter etiam in Ordines, regnum uſurpatum* Platina.
Quamvis hoc Domui Auſtriacæ nihil ſit novi. Nam Sigiſmundus Dux Auſtriæ ante duo prope ſæcula Cardinalem Nicolaum Cuſanum ſimiliter cepit, & comprehenſum in carcere aliquamdiu detinuit. Quam ob rem etiam Papa Pius II (historia teſte) graviſſimis cenſuris illum perſequutus eſt. Ferdinandus etiam I Fra-

tiem

riem Georgium Cardinalem interfici à ſicariis curavit, ob id ſimiliter interdicto Pontificis obnoxius.

At nos hic non agimus cauſam Cleſelii, ceu Cardinalis; Ea enim in Conſiſtorio Papæ ſatis diu agitata fuit: ſed quia is ſimul fuit præſes Senatus Auguſti, quin cor & anima Matthiæ, Imperatoris Romani ac Regis Hungariæ & Bohemiæ, ut qui nonniſi communicato cum illo conſilio quidquam de ulla re Imperium vel dicta Regna concernente ſtatuere ſoleret, dicimus: vim hic Cleſelio illatam & contumeliam Imperatori per latus Cleſelii factam non potuiſſe non redundare in omnium ſimul prædictorum Regnorum graviſſimam injuriam.

Num. 11. ibi, interveniente aſſidua & fideli opera Reverendiſſimi S. R. E. Presbyteri Cardinalis Cleſelii, amici noſtri, arcani Conſilii Directoris, cui totu hoc negotiu commiſeramus

Et certe vix aliam ob cauſam loco demotus eſt, quam ne moderatioribus ſuis conſiliis (quæ ſequi Imperator amabat) officeret facibus Ferdinandi, impediretque ipſum pergeret in bello laceſſendis Bohemis, & religione Euangelica per vim extirpanda.

4 Quod Ordinibus arma oblata Num. 61.

Quem unicum ſcopum Ferdinandum ſibi propoſitum habuiſſe, liquido vel exinde (quarto) apparet, quod cum Don Baldaſſatis equitatum & legionem Krichingerianam è Foro-Iulio in Bohemiam, paucis ante diebus propter ſubinde ingraveſcentem religionis perſequutionem (læſa ſæpius patientia in furorem verſa) tandem aliquando motam, evocaverit, (quamvis eaſdem copias etiam illic iſtu potiſſimum conſilio fuiſſe altas, non ſit abſimile) tum recens à ſe conſcriptum militem ſub tri-

Num. 66. bunis Felſio atque Iohanne Laghio Budwiczium præſidii cauſa miſerit, ibidemque luſtrari, & rebus gerendis adhiberi, mandaverit. Idque utrumque ſuperſtite adhuc Imperatore Matthia, anno nimirum MDCXVIII menſibus Iunio & Novembri.

Cætera id genus ab eodem Ferdinando, in perniciem Ordinum Bohemiæ deſignata facinora (quia archivum ipſius nobis ſcrutari, nec plurium ſimilium documentorum ab adminiſtris & negotiorum ejus geſtoribus copiam habere, licuit) tacebimus. Nam vel duo illa ſola ad probandam cautionis Ordinibus ab ipſo datæ violationem abunde ſufficiunt.

Matthias ſane ſimiliter (conſentiente Rudolpho Cæſare) Rex Bohemiæ per liberam Ordinum electionem, iiſdem quibus poſtea hic Ferdinandus conditionibus, deſignatus erat: tamen, cum

Num. 67. a Statibus ſub utraque ſollicitaretur, ut ad fratrem ſuum cis

inter-

interceſſionales duntaxat impertiretur, quo tanto facilius liberum religionis Euangelicæ exercitium ab Imperatore impetrare poſſent; inſinuavit quidem Imperatori petitionem Statuum, ſed intercedere non eſt auſus, metuens, ne ab Imperatore violatæ obligationis & affectati regni argueretur, eoque antegreſſa ſui deſignatione excideret. Num. 31.

Quod hic certe Ferdinandum longe magis cavere oportuit. Amicam enim intercesſionem impertiri excuſabilius dubio procul foret, quam copiis militaribus & exercitu hoſtiliter Regnum invadere, vaſtare, depopulari.

Cum autem nimium ſibi laxaverit frenos, & per pacta illa juramentum ſuum non una ratione prophanaverit, dum

1. Leges & libertatem Ordinibus (ut debuit) illibatas non ſervavit,

2. Regnum non modo non ampliavit, ſed univerſum alienavit,

3. Et, loco honoris atque commodi, in æternum opprobrium ac ſervitutem idem conjectum voluit;

Factoque etiam & opere cautioni illi ſuæ, ac conditioni deſignationi annexæ, contraiverit, dum

1. Regno (vivo Matthia) ſe impudenter miſcuit,

2. Et militares copias in Bohemiam Ordinum debellandorum cauſa miſit:

Quid ſpei ſupereſſe Ordinibus potuit, melius adminiſtratrum Regnum in poſſeſſionem ejus miſſum? ſiquidem ante poſſeſſionem occupatam tam impotenter regnare cæpit? & vehementiſſimi ſui in religionem Evangelicam odii (præter primordia illa nimis præcocis perſequutionis ejus in Bohemia) jam pridem quoque, ingreſſus regnum ſive gubernationem provinciarum ſuarum hereditariarum, plus ſatis documenti dedit? aperte profeſſus,

1. Nihil præſidii eſſe Evangelicis, provincias Principibus Catholicis ſubditas incolentibus, in pace religionis per Imperium conſtituta: ſiquidem non illi, ſed Principes, immediate pro Statibus Imperii agnoſcuntur: Hiſtor. perſequ. Styr. Commiſſ. prima.

2. Se vitam potius, principatum & omnia perdi-

 rurum,

rurum, * adeoque ſemet etiam ipſum in fruſta concidi facilius paſſurum, quam a ſalutati ſuo reformationis opere deſtiturum:

Sub f. ejuſd. Commiſſ. 1 & reſponſo Styriæ dato ſub lit. D in medio propius f. Commiſſ. 4. pt. Dicto reſponſo Styriæ dato ſub lit. D. in pt. Commiſſ. 7 in med. fere

3. Et in iſta ſua ſententia ad tumulum uſque perſeveraturum, nec quidquam contrarium ſibi unquam perſuaderi paſſurum:

4. Quamdiu non cedat ſervus Domino, (ſive Evangelicus ſubditus Principi Catholico) &, hoc ad dextram conſiſtente, ille ad ſiniſtram ſe non conferat, nullam ſpem eſſe poſſe ullius in quacunque provincia mutuæ confidentiæ pacis aut concordiæ:

Edicto Ferdinandi ſub lit. C.

5. Vbicunque enim hæreticis (hoc eſt, Evangelicis) Prædicantibus imaginariæ ipſorum religionis exercitium vel communio clam aut palam concedatur, Reipublicæ id maximo detrimento, & autoritati Principis Catholici ſummo decremento, cedere, nec niſi tumultus ſeditioſaſque machinationes ciere conſueviſſe.

Concluſio.

Quare ecquid adhuc eſt, quod quis miretur, Ordines, eum ex lege (quam ſibi ille dixit & ſcripſit) regno excidiſſe, proindeque ſibi utroque oculo vigilandum, & cum illum regno abdicandum tum ceu in interregno de novo eligendo Rege (quem ſervantiorem jurisjurandi & obligationum ſuarum ſperarent) cogitandum, eſſe, ratos, tandem etiam, illo propter tot enormiſſimas ſacramenti & obligationis ſuæ Regiæ tranſgreſſiones (nullam meliorem expediendæ ſalutis & libertatis ſuæ aſſerendæ rationem inire gnari) reipſa abdicato, novum ſibi Regem FRIDERICVM ELECTOREM PALATINVM (ob eximias in iſtum Principem à Deo ter Opt. ter Max. liberali manu collatas animi dotes) elegiſſe?

Et provocatis ad judicium, vel etiam hoſtium.

Qua in re Ordines, confidentes æquitati cauſæ ſuæ, neminis ſane judicium ſubterfugiunt, nec ipſorum etiam hoſtium. Hoc tantum rogant, ut, quiſquis hanc litem dirimendi ſibi autoritatem ſumturus eſt, ita jus dicere aliis velit, atque ſibi dici exoptaret, ſi ſe res tangeret, & ipſe loco Bohemorum eſſet, tot injurias

paſſus

paſſus à Principe ſuo, etiam hereditario, quot Bohemi à Ferdinando certis conditionibus electo ſuſtinere coacti ſunt.

Quinimo ſi vel ipſe Ferdinandus ſubeſſet Imperatori alicui Evangelico, à quo cum religionem ſuam, quam inde ab ortu ſuo ex uberibus matris eum lacte imbibit, ſibi per vim extorqueri, & quamcunque aliam novam neſcio qua autoritate dominica imperari, tum libertatem quoque politicam & civilem, privilegiaque domui ſuæ à priſtinis Imperatoribus collata everti velle, animadverteret, vix credibile eſt à ſe abjectum m eſſe vindicias, & ſecundum eum dicturum, qui tam aſpera dominatione in ſe & conſcientiam ſuam uteretur. 2 *Ipſiuſque Ferdinandi.*

At *convenientiſſimum eſt, ut, quod quis in alterius perſona æquum eſſe credat, id in ſua quoque perſona valere patiatur.* l. 2. §. 1. D. Quod quiſque juris &c.

Et conſtat, Cardinales etiam Romanos eam poteſtatem contra ipſos Pontifices Maximos non ſemel uſurpaviſſe: Papamque Felicem V, Iohannem XXIII, Benedictum XIII, Gregorium XII, & alios Pontificatu exuiſſe, Doctoribus Pontificiis aſſerere nequidquam verecundatis, Quod ab hominibus datum ſit, ab iiſdem & tolli poſſe. Et, quando Papa à ſuo Pontificatu dejicitur, poteſtatem iſtam ei non ab hominibus, ſed à Deo (mediantibus tamen hominibus) auferri, Cardinaleſque à Pontifice (qui contra juramentum & religionis votum incorrigibilis deprehendatur) recedere, & ſe obedientiæ ejus ſubtrahere, teneri. 3 *Cardinalium.* Franc Zabarella tr. de ſchiſm modo VI in f. fol 566. Theodoric à Niem in memor union. tract. 6 c. 16.

Necdum quoque obliteratum eſt, Germanos ante annos quingentos; Henricum IV, quod licentius omnia agere cæpiſſet, ante annos trecentos; Adolphum Naſſovium, quod ſordidior & ambitiſior eſſet; atque ante annos ducentos Wenceſlaum Caroli IV filium, quod vino perpetuo maderet lucemque dormiendo nocti conjungeret, tum alias etiam ob cauſas neglecti Imperii, ſubmoviſſe Imperio. Electore Moguntino contra prædictum Henricum Imperatorem axioma illud acerrime urgente, Principum decreto impoſitum eorundem autoritate tolli quoque poſſe. 4 *Germanorum.* Helmold in Chron Slavon. cap 32. & 33. Strada in Vit. Impp. Crantz in VVandalia.

5 *Gallorum. Marian. Scot. lib. 3 Chron. Otto Friſing. lib. 5. cap. 22.* Quin Galli etiam ante integra undecim ſæcula cum dimidio Childericum Regem ſuum ob ſolam ignaviam regno propulerunt: Zacharia illius temporis Pontifice idem factum approbante; decernenteque, quod, quem plebs Regem conſtituiſſet, eundem & deſtituendi facultatem habeat.

6 *Suecorum.* Sueci aliquot Reges pariter exautoraverunt; Chriſtiernum; Ericum II; & Sigiſmundum, qui hodie adhuc ſuperſtes regnat in Polonia.

7 *Danorum.* Et Dani quoq; ante proximos centum annos Regem ſuum, eundem Chriſtiernum, abdicaverunt.

1. Reg. 12. Denique annon & Iſraelitæ Roboamum filium Salomonis, quod levare ipſos ſervitute patris detrectarat, rejecerunt? Non cumulabimus alia ex Hiſtoriis exempla.

Quare cur, quod aliis etiam hereditariis Regnis, nonnunquam ob leviſſimas quaſque cauſas, contra Pontifices, Imperatores & Reges ſuos (nonnullos ſatis diu nec ſine ſumma laude regno potitos) licuit, ſolis Bohemis in cauſa longe prægnantiore contra hunc Ferdinandum, nunquam adhuc in poſſeſſionem Regni miſſum non liceret, nulla ſubeſt ratio: præſertim cum hi ipſi eandem licentiam & libertatem, quam olim contra complures ſuos Duces, & Reges, (quos ſupra diximus) exercuerunt, etiam ante perpaucos annos (conniventibus, nec factum injuriam interpretantibus, ut omnibus Archiducibus Auſtriæ & hoc ipſo Ferdinando, ita cæteris Electoribus & Principibus Imperii) contra Rodolphum Imperatorem, annos plus minus triginta ſex regno potitum, jure ſuo ſibi ſumere non dubitaverint.

Ad oblationem Confirmationis privilegiorum reſponſio. Quod autem Ferdinandus à morte Imperatoris ſcripto diplomate Confirmationem privilegiorum Ordinibus obtulit: eo nec ipſe præteritorum facinorum iniquitatem eluere potuit; nec Ordines (cum gravaminibus religionis, propter quæ motus iſti exorti erant, ſe medicam adhibiturum manum, non ſolum nullum indicium feciſſet, ſed etiam numeroſum ſatis exercitum in Bohemia contra Ordines ceu hoſtes ſuos, ante abdicationem adhuc ant nllam ſui læſionem, aleret, & majores ſubinde copias ex Italia per mediam Germaniam ſubmitteret, atque illis de Cancellaria Bohemica præcipitibus actis Sinonibus patrieq, catharmatis

matis de novo adminiſtrationem regni ceu legatis ſive vicariis ſuis committeret) puris chartis ſalutem ſuam tuto credere, aut religionis libertati generali aliqua privilegiorum confirmatione ſufficienter cautum eſſe exiſtimare: ita ſecum reputantes, ſi juramentum & priorem illam obligationem violare ipſi religio non fuit, longe minus oblatæ iſtius imaginariæ confirmationis rationem habiturum, ac ſe (qua conſcientias & libertates ſuas) ab ipſo ſecuros futuros.

Et ſic cum jus Bohemorum autorandi & exautorandi Reges, adeoque & hujus etiam Ferdinandi abdicationis juſtitiam, nobis abunde probaſſe, tum omnia adverſariorum tela, contrarias exceptiones & inſtantias maſcule eliſiſſe, nervoſe refutaſſe, valideque repreſſiſſe, videmur.

Cæterum quiſquis ulteriorem iſtarum rerum cognitionem deſiderat, is ne gravetur ipſum apoteleſma defenſionis Bohemorum (titulo DEDVCTIONIS ſæpius typis vulgatum) cum omnibus annexis documentis perlegere: non pœnitebit eum, ſat ſcimus, ſive operæ ſeu temporis impenſi, ad ſatietatemque edocebitur de æquitate cauſæ Ordinum.

FINIS.

Lev. 19. 15.

Ne exercetote perverſitatem in judicio: ne accipito perſonam tenuis, neque honorem exhibeto perſonæ magni: juſte judicato proximum tuum.

ALLEGATA.

Num. I.

Statuta Regni Bohemiæ.

A. IX.

Rex cum Statibus (Baronibus videlicet, Equitibus & Civitatibus) convenit, & pro lege publica conſtituit: Siquidem antiquitus in hoc Regno plures Status, præterquam Baronum, Equitum & Civitatum, non fuere, ea propter ne in poſterum etiam, præter tres jam dictos Status, plures ſint.

A. XVII.

Barones & Equites in Comitiis ita convenerunt, & legem ſanxerunt: Ne ullus Ordo ſeorſim, vel etiam perſonæ ſingulæ, præter Comitia Sereniſſimo Regi aut futuris Regibus Bohemiæ alienationis territoriorum civitatum & dominiorum Regno incorporatorum autores vel conſultores exiſtant. Quod ſi contingat aliquos vel aliquem præter Comitia eam in rem conſilium dare, & Sereniſſimo Regi vel futuris Regibus Bohemiæ tales contractus perſuadere, quibus dicta territoria arces civitateſve alienentur; in eum, vel eos ſingulos, animadverti debet, tanquam in violatores ſalutis publicæ.

A. XVIII.

Sereniſſimus Princeps ac Dominus Dominus Wladiſlaus, Dei gratia Rex Bohemiæ &c. cum Baronibus & Equitibus pleno in judicio, (cum conſenſu & voluntate Principum omniumque Baronum, Equitum Pragenſium & aliarum Civitatum totiuſque Communitatis Regni Bohemiæ, in Comitiis univerſi Regni) diligenter inſpectis veteribus ſtatutis & ſanctionibus alienationem arcium, caſtrorum, caſtellorumque Regni Bohemiæ concernentibus, quibus ea ſub gravibus pœnis interdicta eſt, ne qua damno & detrimento hujus Coronæ fiat, pro lege publica ſanxerunt: Vt ex

hoc

hoc die nemo Principum, Baronum, Equitum, Eccleſiaſtici vel ſæcularis ordinis, caſtra vel caſtella ſua & civitates aut alias quaſcunque poſſeſſiones in Regno Bohemiæ ſitas, allodiales vel feudales aut quo alio nexu obligatas, quibuſcunque alienigenis, humilioribus vel honoratioribus, ſine conſenſu Regis aut futurorum Regum Bohemiæ, ulla (quæ excogitari poſſit) ratione, ullo ſub prætextu, vendat, oppignoret, tranſcribat, cedat, aut permutet. Neve Sereniſſimus Rex aut futuri Reges Bohemiæ quidquam ejuſmodi ratum habeant, citra voluntatem & ſuffragium Regni ſive Ordinum.

Quod ſi contingat aliquem incolam Regni donare, vendere, vel teſtamento tranſcribere bona ſua alicui peregrino cum voluntate Regis & conſenſu Regni: tum antequam peregrinus ille poſſeſſionem eorundem bonorum ineat, debet prius tabulis Regni, & inſtrumento ſigillo ſuo munito atque ad tabulas Regni depoſito, cavere, quod neminem pro hereditario ſuo domino (præter Regem Bohemiæ) ſit agniturus, ac cum cæteris Regni Bohemiæ incolis omnia onera ſubiturus.

Et poſtquam alibi ſobſtantiam ſuam diſtraxerit, atque in hoc Regno domicilium figere conſtituerit, tum debet Sereniſſimo Regi & toti Regno, ſcripto (ut dictum) inſtrumento, obſequium polliceri, ſicut alii incolæ Regni, ſub pœnis.

R. XVII.

Vt in quovis diſtrictu ſingulis menſibus, vel quoties neceſſitas poſtulaverit, in homines otioſos & Reipublicæ noxios, paſſim in oppidis, pagis, cauponis, aut ubi eos commorari ſoſpicio ſit, inquiratur. Quod ad munus præfectorum diſtrictibus pertinet.

Atque hæc conſtitutio de hominibus otioſis & Reipublicæ noxiis tamdiu obtinere debet, quamdiu Status non aliter ea de re convenerint.

R. XVIII.

Quod erroues & mendicos attinet, qui huic Regno præteritis temporibus incendiis multum damni dederunt, etiamnumque dant, ut malo illi obviam eatur, ita omnes tres Status convenimus, &c.

R. XXII. An-

R. XXII.

Anno Domini 1492 Barones, Equites, Pragenſes & Civitatum legati feria ſecunda poſt dies interdicti quadrageſimales in Comitiis id temporis in arce Pragenſi celebratis infra ſcriptos articulos ſciverunt, & ut ab omnibus obſerventur ſanxerunt, &c.

X. I.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Amen.

Anno à nato Dei filio 1517 in Comitiis publicis in arce Pragenſi circa feſtum Wenceſlai habitis Barones & Equites Regni Bohemiæ ex una, & Pragenſes univerſuſque Ordo Civitatum ejuſdem Regni Bohemiæ ex altera parte, de omnibus controverſiis (quæ inter eoſdem Ordines qua compatitionem in judiciis provincialibus à priſcis temporibus in hunc uſque diem nullo Regis aut boni publici compendio viguerunt) Dei Omnipotentis gratia pro mutua confidentia prædicti omnes tres Status Regni Bohemiæ (ceu una gens Bohema) amice convenerunt, ita ut his tabulis Regni id conſignatum confirmatumque eſt, & pro lege publica ſanxerunt, &c.

Z. IV.

Conſentiente Rege in Comitiis calatis Principes, Barones & Equites ſupra ſcripta omnia conſtitutionibus & tabulis hiſce comprehenſa pro legibus ſanxerunt. Quos immutare nulli hominum, citra aſſenſum Regis & ſuffragium Baronum atque Equitum, integrum eſt.

Ordinibus autem Baronali & Equeſtri ſemper liberum fuit conſcio Rege in Comitiis publicis leges ſuas augere vel minuere. Quam libertatem ambo illi Ordines etiam in poſterum ſibi reſervavere, ut, quandocunque iiſdem duobus Ordinibus in Comitiis viſum fuerit, leges ſuas cum voluntate Regis ampliare vel accidere poſſint. Quin etiam quod provinciale & cætera judicia attinet, quomodo cum conſenſu Regis inter ſe convenerint, poterunt pro lege ſtatuere.

NUM.

NVM. II.

Ex Comitiis anni MDCX.

Clerici bona Eccleſiaſtica luendi cauſa altos in jus vocantes, quoties victores exiſtunt, etiam expenſarum nomine quoſvis ex Statibus convenire & judicio eas obtinere ſolent. Victi autem aliis impendia litium, quæ facere multos ex Ordinibus adigunt, viciſſim ſolvere detrectant. Proinde, ut æqualitas & juſtitia (quæ una eademque clericis & laicis eſſe debet) ſervetur, ita Sacta Cæſarea Majeſtas cum Statibus convenit: Si quem in poſterum clerici luendorum dictorum bonorum Eccleſiaſticorum gratia in jus vocaverint, nec victores extiterint, aut actiones ab eis ſuſceptæ exceptionibus eliſæ fuerint; ut ſingulis ex Statibus (quemadmodum hi quoque illis) ſumtus in tale judicium factos, æque ac poſt ſententias in aliis cauſis latas, præſtare teneantur, alterique alteros earum nomine convenire poſſint; &, quas alterutra pars probaverit, ſententia judicis ei addicentur.

Plura id genus

Vide infra NVM. XI. ſub lit. W. 13. 14. 15. 16. & NVM. XIV.

Item in Apologia Ordinum Majori,

NVM. XV. CVII. CIX. CXXII. & CXXIII.

Et ſingula pene Comitia ſingula ejuſdem juris Ordinum Bohemiæ ferundi leges præbent exempla.

NVM. III.

Ex Statutis Regni.

A. II.

Iuramentum Regiæ Majeſtatis.

Iuramus Deo, Matri Dei, & omnibus Sanctis, in hoc ſacro Evangelio, quod, Baronibus, Equitibus, Nobilibus & Pragenſibus reliquiſq; Civitatibus ac univerſæ Communitati Regni Bohemiæ, velimus & debeamus conſtitutiones & leges eorum, privilegiaque, exemtiones,

 libert-

libertates & jura atque inveteratas bonas & laudabiles conſuetudines illibatas ſervare; nec ab eodem Regno Bohemiæ quidquam alienare aut oppignorare, ſed pro virili potius id augere ampliareque; &, quidquid bono & honori ejuſdem Regni ceſſurum ſit, facere. Ita nobis Deus auxiliator, & omnes ſancti.

N v m.' IV.

B. IV.

Iuramentum ſupremorum Regno Præfectorum, & aliorum Officialium.

Iuro Deo & omnibus ſanctis, Sereniſſimoque Principi ac Domino, Domino Ferdinando, Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ, &c. Regi, &c. tanquam Regi Bohemiæ, omnibus Baronibus, Equitibus & univerſo populo Regni Bohemiæ, diviti & egeno, quod in hoc officio (ad quod vocatus ſum) ſupremi Aulæ Magiſtri Regni Bohemiæ veritati patrocinabor, & injuriam damnabo, omniaque conſiliorum ſecreta celabo, citra gratiam aut odium vel ullius alius rei reſpectum.

In eademque verba jurare debent etiam,

Supremus Camerarius,	Burggravius diſtrictus Græcenſis,
Præſes Iudicii Provincialis,	Mareſchallus Aulæ Regiæ,
Archicancellarius,	Procurator Regius,
Præſes Iudicii Curialis,	Magiſter Aulæ Regiæ,
Primicerius Regni Bohemiæ,	Præpoſitus à Rege feudis Germanicis,
Subcamerarius,	Et ſupremus rei monetalis in Regno Bohemiæ Magiſter:

ſinguli officium ſuum nominatim exprimentes.

L. LIV.

Iuramentum minorum adſeſſorum tabularum Regni.

Iuro Deo & omnibus ſanctis, Sereniſſimoque Principi ac Domino, Domino Ferdinando Romanorum Imperatori, tanquam Regi Bohemiæ, (aut qui poſtea Rex Bohemiæ futurus eſt) & Illu-

Google

& Illuſtri Baroni N. * ſupremo Regni Bohemiæ, omnibuſque Baronibus & Nobilibus Regni Bohemiæ, rotique Communitati ejuſdem Regni, pauperi & opulento, me in hoc officio (ad quod vocatus ſum) Vice-Camerariatus Regni Bohemiæ veritati patrocinaturum, & injuriam damnaturum, atque arcana conſilii celaturum, nec aliter facturum gratiæ odiive aut alius ullius rei cauſa. Ita mihi Deus auxilietur, & omnes ſancti.

* Hic exprimetur officium ejus, cujus vicarius ſubit juramentum.

In quæ verba jurare præterea debent,

Officium ſuum quiſque nominatim exprimens,

Vice-Iudex } Regni Bohemiæ	Ingroſſator ſive librarius majorum } tabularum Regni.
Vice-Notarius } Regni Bohemiæ	Ingroſſator minorum } tabularum Regni.
Officialis Reginæ,	Regiſtrator ſive ſcripturarius. } tabularum Regni.
Officialis Subcamerarii,	Menſor publicus.
Notarius minorum tabularum Regni,	Apparitor tabularum Regni.
Magiſter apparitorum ſive viatorum,	Declamator ſive Actuarius Regni.

NVM. V.

B. V.

Iuramentum Baronum & Nobilium in iudicium Regni allectorum.

Iuro Deo & omnibus ſanctis, Sereniſſimoque Principi ac Domino, Domino Ferdinando, Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ, &c. Regi, &c. tanquam Regi Bohemiæ, (aut qui poſtea futurus eſt Rex) ac omnibus Baronibus & Nobilibus Regni Bohemiæ, rotique Communitati ejuſdem Regni, inopi & opulento, me in hoc judicio Regni (in quod allectus ſum) veritati patrocinaturum, & injuriam damnaturum, omniaque conſiliorum arcana ſecreto habiturum, citra gratiam odiumve aut alius ullius rei reſpectum. Ita mihi Deus auxiliator ſit, & omnes ſancti.

P. XXXIII.

De Iuramentis teſtimonii cauſa præſtandis.

Ita jurare debent teſtimonia depoſituri Barones & Nobiles Iudicii Provincialis Curialiſve & Cameralis Adſeſſores, ſi famam, vitam aut fundos eos tangat.

Primo quiſque debet faciem obvertere ad ortum ſolis, & caput nudum habere, duoſque digitos imponere pectori ſuo, & Notarius minorum tabularum, aut alius eam ad rem juratus tabularum Regni ſcriba, debet ipſis præire juramentum ſubſequentibus verbis:

Teſtor illud juramentum, quod Deo præſtiti & omnibus ſanctis, Sereniſſimoque Regi ac toti Regno, in illo judicio, in quod cooptatus ſum, me in lite, quæ eſt inter * &c. quidquid mihi compertum fuerit, ſincere dicturum, nullo gratiæ odii aut ullius alius rei reſpectu Ita mihi Deus opituletur, & omnes ſancti.

* Hic nominantur litigantes.

N V M. VI.

B. VI.

Iuramentum Baronum & Nobilium in iudicium Curiale & Camerale vel in Senatum Regiæ eius Maieſtatis cooptatorum.

Iuro Deo & omnibus ſanctis, Sereniſſimoque Principi ac Domino, Domino Ferdinando, Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ, &c. Regi, &c. tanquam Regi Bohemiæ (aut qui poſtea futurus eſt,) ac omnibus Baronibus & Nobilibus totique Communitati Regni Bohemiæ, quod ante omnia Sereniſſimi Regis conſilia & arcana ſim celaturus, in iiſdemque Iudicus Curiali & Camerali veritati patrocinaturus & injuriam damnaturus, nihilque gratiæ aut odio vel alii ulli rei daturus. Ita mihi Deus propitius ſit, & omnes ſancti.

N V M. VII.

Iuramentum Vaſallorum.

M. XLIII.

Iuro Deo, & Sereniſſimo Principi ac Domino, Domino Ferdinando, Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ, &c. Regi, Infanti

Hiſpa-

Hiſpaniarum, Archiduci Auſtriæ, & Marchioni Moraviæ, Lucemburgenſi ac Sileſiæ Duci, Luſatiæque Marchioni, &c. Domino meo clementi, tanquam Regi Bohemiæ, Majeſtatiſque ejus heredibus, & univerſæ Coronæ Bohemicæ, fidelitatem & obſequium vaſallo conveniens, cum omnibus fundis & poſſeſſionibus meis feudalibus N. *

* Hic exprimuntur nominatim eædem poſſeſſiones

Et polliceor, me eandem fidelitatem & obſequium vaſallo congruens conſervaturum, prout bonum & fidelem vaſallum decet, itaque ut mos & jus feudale Curiæ Sereniſſimi Regis requirit.

Et, ſi quæ feuda ſive beneficia ob non petitam intra legitimum tempus inveſtituram caduca inveſtigavero, nulla ratione id celaturum: ſed fidem in iis omnibus Sereniſſimo Regi & Coronæ Bohemiæ, prout fideli vaſallo convenit, præſtiturum, nec facturum aliter gratiæ aut odii vel ullius alius rei cauſa. Ita mihi opituletur Deus, & omnes ſancti.

NUM. VIII.

A. XX.

Quibus in rebus Sereniſſimus Rex vel Regina poteſtatem non habeat.

Sereniſſimo Regi placuit, ut Tabulis Regni notari juberet, quod in nulla cauſa publica ullos relatores conſtituere debeat. Sin vero Regia ejus Majeſtas cui ex Conſiliatiis ſuis tale quid mandaret, ut nemo eandem relationem obeat, nec ædiles tabularum eam recipiant. Quod ſi receperint, & aliquid publici, *ſine relatoribus ex Ordine Baronum & Equitum* eam in rem abs Regno communibus ſuffragiis deſtinatis, inſcripſerint aut induxerint: tum iidem ædiles, citra omnem gratiæ ſpem, capite plectuntor. Eademque relatio nullas vires ſortitor.

NUM. IX.

A. XVII.

De non alienandis ditionibus à Regno Bohemia.

Ex hoc die Sereniſſimus Rex diplomate cavebit, quod cum ipſe, tum futuri Reges Bohemiæ, nulla territoria, arces vel civitates à Cæſare Carolo Coronæ incorporatas, qualibuſcunque

contractibus aut obligationibus, alienare debeat, prout Cæſaris Caroli literæ habent. Sed ſi quando neceſſitas Coronam urſerit, ut de iiſdem territoriis, arcibus & civitatibus contrahi oporteat, quod Sereniſſimus Rex & futuri Reges Bohemiæ de iis aliter contracturi non ſint, quam cum voluntate & conſilio Comitiorum calatorum. Ac, quidquid tum conſultum concluſumque fuerit, id Sereniſſimus Rex & futuri Reges facere poterunt, & nihil ſecus.

A. XIX.

Nos Wladiſlaus, Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex, &c.

Sed ab hoc die non debemus amplius nec ſucceſſores noſtri Reges Bohemiæ quidquam abs Regno alienare, aut hereditario transferre, nec ſummas augere, aut vitas ampliare, citra conſilium totius Regni Bohemiæ; nec arces, quas poſſidemus aut in poſterum poſſeſſuri ſumus, ullo pacto pignori nexi facere aut obligare cuiquam.

Sed ſi velimus nos vel ſucceſſores noſtri Reges Bohemiæ ullas arces, civitates, oppida, vel pagos (propter neceſſitatem publicam) oppignorare, tum non aliter debemus aut poterimus id facere, quam cum conſilio & voluntate totius Regni.

Sin autem nihilominus aliquid oppignoraverimus, donaverimus, aut vendiderimus præter voluntatem & conſilium totius Regni nos vel ſucceſſuri nobis Reges Bohemiæ: tum illa donatio, venditio, oppignoratio, vitarum prorogatio, aut ſummarum auctio nullius valoris nunc aut unquam poſtea futura eſt.

Et quiſquis, præter hunc noſtrum in petitionem ſupra ſcriptorum fidelium noſtrorum aſſenſum ſanctionemque, ex hoc die ullas obligationes à nobis vel ſucceſſoribus noſtris Regibus Bohemiæ impetraverit obtinueritve, illas nos omnes poteſtate noſtra Regia & hac ſanctione caſſamus, irritamus & annihilamus, ita ut nullas vires habeant aut habere poſſint.

A. XXVIII.

Feuda & beneficia, quæ ſunt foris & extra territorium Bohe-

miæ, non debet Sereniſſimus Rex nec futuri Reges Bohemiæ nexu illo liberare aut vendere vel ullo modo alienare citra conſenſum totius Regni.

Plura talia reperies in iiſdem Statutis Regni, ſub lit. E. 13. Q. 11.

NVM. X.

A. XXIX.

Sereniſſimus Rex ad nulla bella cogere debet Barones & Equites Regni Bohemiæ, præter jus, libertatem & morem veterem. Prouique præteriti Reges Bohemiæ ſe ea in te erga Barones & Equites geſſerunt. ita etiam Majeſtas ejus ſe gerere, prætereaque ad nulla bella eos (nec futuri Reges Bohemiæ) adigere debet.

NVM. XI.

W. I.

Pactum Sereniſſimi Regis cum Statibus huius Regni cauſa metallorum factum.

Nos Ferdinandus Dei gratia &c.

W. III.

Pro marca vero minus una drachma argenti puri, ponderis Norici, in omnibus fodinis Regni Bohemiæ ſeptem aureos Rhenenſes quatuordecim groſſos & ſex obulos Bohemicos (pro ſingulis florenis viginti quatuor groſſos, & pro ſingulis groſſis ſeptem obulos Bohemicos, numerantes) metallariis ſolvere, nec minoris prædictam marcam argenti emere, debebimus aut poterimus.

W. VIII.

De conſtituendis apud fodinas officinis Monetalibus.

Vbi auri vel argenti fodinæ adeo prægnantes fuerint, ut fabricæ monetali ſatis argenti ſuppeditare poſſint, apud tales fodinas officinam noſtram monetariam conſtruemus. Quæ autem fodinæ ita fœcundæ non extiterint, ut officina monetaria apud eas conſtitui poſſit; tum debebimus in noſtra fabrica monetali, quam in Arce Pragenſi habebimus, ex eodem argento monetam

ſecundum

ſecundum valorem Bobemicum cudi facere, quo lucrum & merces hebdomadaria operis tali moneta ſolvi poſſit, de quali nobis cum Ordinibus convenerit.

W. XIII.

De Moneta.

In Comitiis, anno MDLXIII feria ſecunda ante Philippi & Iacobi Apoſtolorum in arce Pragenſi habitis, conſtitutum eſt de omni moneta &c.

W. XIV.

In Comitiis, anno MDXLIV feria ſecunda poſt trium Regum in Baſilica Pragenſi habitis, ita conventum eſt qua monetam, ut &c.

W. XV.

In Comitiis, anno MDXLV feria quarta poſt trium Regum in Arce Pragenſi celebratis, quod monetam attinet, ita omnibus tribus Statibus placuit &c.

W. XVI.

In Comitiis, anno MDXLV feria ſecunda poſt Aſſumtionis Mariæ in Regia Pragenſi celebratis, ita omnes tres Status ſanximus, quoniam manifeſte deprebenſum eſt, monetas Prutenſem & Marchicam &c.

NVM. XII.

W. XIX.

Qui Regi aureos fabricaturus eſt; debet Regi & Regno juramento obligari, quod tot gradunm eos fabricabit, quot antiquitus fabricari fuere, ſingulos nimirum aureos viginti quatuor graduum.

NVM. XIII.

W. VI.

Et debemos nos (Rex) unum probatorem monetæ, ac Regnum alterum, habere.

NVM.

NUM. XIV.

Ex Comitiis anni MDCVIII.

Debet etiam Cæſarea Majeſtas negotia Bohemica & hoc Regnum Bohemiæ concernentia non exteris, ſed ſupremis Præfectis & Senatoribus Regni Conſiliariiſque ſuis Iudicii Curialis & Cameralis Adſeſſoribus deliberanda committere.

NUM. XV.

Ex Statutis Regni.

A. XXVII.

Sereniſſimus Rex cavit, quod nec ipſe nec futuri Reges Bohemiæ arces vel officia Regni alienigenis concredere debeant.

NUM. XVI.

A. XL.

Quod eos homines attinet, qui Barones ſe gerere volunt, quibuſcunque inſtrumentis aut diplomatibus precario impetratis nixi, à Rege autem & Baronibus adoptati non ſunt: ij ordine & conditione Baronali ne fruuntor, donec abs Rege & Baronibus recipiantur.

A. XLI.

Quod novos Barones tangit, quiſquis illum honorem aucupabitur, is ſollicitet ideo Regem & Barones juxta veterem conſuetudinem & conſtitutionem ab Ordine Baronum factam abs Regiaque Majeſtate confirmatam.

NUM. XVII.

B. XI.

Si cui Burggraviorum Karoloſchteinenſium præſentium aut futurorum eo officio fungi non videatur, tum debet Regem & Barones & Equites (quando in pleno judicio ſedent) adire, & ſemeſtre ante denunciare, ſe non poſſe obire idem munus, juxta-

H que

que rogare, ut intra illud ſemeſtrealium officio illi præficiant.

Siu Rex peregre abſit, tum is qui idem officium diutius adminiſtrare noluerit, debet id Regi notificare, & miſſionem ab eodem officio petere Quod ſi Rex ratum habeat, & Baronibus atque Equitibus in pleuum Iudicium perſcribat, ſe in talem miſſionem conſeutire: tum Barones, Equites & univerſa Communitas Regni Bohemiæ illum citra controverſiam eodem officio ſolvere, & alii idem officium ac munus (exacto prius ab eo ſupra ſcripto juramento) committere, debent.

M. XXXVI.

De Iudicio, Curiali.

Et quiſque adſeſſor tenetur (ſi diutius nolit) annum in eodem Iudicio exigere: & poſt annum demum poterit, ſicut in aliis judiciis fit, miſſionem petere.

O. IV.

De Iudicio Camerali.

Et quiſque Baro vel Eques in idem Iudicium adſcitus vel arrogatus tenebitur (ſi diutius nolit) annum in eo exigere, niſi forte interea in Iudiciom Provinciale allegatur.

Et cuicunque Rex è duobus illis Statibus id denunciaverit, nemo refragari debet, ſed annum illum exigere.

NUM. XVIII.

A. V.

Quia antiquitus conſuetudinis eſt, ut Sereniſſimus Rex cum conſilio Præfectorum & Senatorum Regni officia Regni conferat, & habiles homines in Iudicium Provinciale adoptet: etiam in poſterum juxta Conſtitutiones Regni & privilegia Regiæ Majeſtati id liberum eſſe, nec ullum impedimentum ea in re fieri, debet.

B. II.

Ne quiſquam Baronum aut Equitum per ſe vel quemcunque alium ullum officium Regni, pro ſe vel liberis ſuis aut quovis alio,

alio, aucupari aut petere præſumat, ſuperſtite adhuc Barone vel Equite idem officium gerente.

Sin quæ officia Regni quacunque ratione ante hanc Conſtitutionem impetrata ſint, & alicui diplomate aliquo vel quaſicunque inſtrumento confirmata aut etiam hereditario data: nullas id vires obtinere debet contra hoc noſtrum ſcitum & ſanctionem. Officia enim illa debent eſſe libera.

Officium vero defuncti debet Sereniſſimus Rex, cum conſilio Baronum & Nobilium, bono & honeſto alicui Baroni vel Equiti, digno tali officio & Regno utili, conferre.

Sed quiſquis ex hoc die contra hanc conſtitutionem ad ullum officium à ſe emendicatum adſpiraverit, is famæ vitæque ſubito periculum, & fortunæ ejus fiſco Regio applicantor.

Quod ſi quis Baro vel Nobilis conſtitutus in aliquo officio Regni ſponte id reſignaverit, tum Sereniſſimus Rex cum conſilio Baronum & Nobilium conferat id (ſicut ſupra conventum eſt) homini ejus Ordinis, ad quem idem officium ſpectat.

NUM. XIX.

A. XV.

Etiamſi quis arma gentilicia à Sereniſſimo Rege impetret; ſi tamen liber non ſit, ſed Dominum hereditarium habeat, is tali gratia ſibi collata & armis, ſervitute Domini ſui exemtus non eſt, nec eſſe debet aut poteſt.

NUM. XX.

A. XII.

Si cui Rex vectigal, in præjudicium veterum privilegiorum & detrimentum alterius conferat, nemini jus interclusum eſt.

NUM. XXI.

N. 5.

Quicunque hactenus à Sereniſſimo Rege vacatura feuda impetraverunt aut in poſterum etiam impetraturi ſunt citra deſignationem certæ perſonæ, & in genere tantum, cujuſcunque ea ſint & quomodocunque vacatura, quia hoc contra conſuetudi-

nem & jus eſt, idcirco ædiles curiales talem relationem à neminè ſuſcipiunto, nec tabulis nunçaut in futurum eam inſcribunto.

N v m. XXII.

A. XXII.

Sereniſſimus Rex ratum habet, (quemadmodum Barones in pleno Iudicio pro lege publica ſtatuerunt, & Petrus de Michalowicz cum Petro de Swirzeticz Baronum-conſultum promulgaverunt) Ne quiſquam Rex Bohemiæ amplius quenquam eximat aut eximere poſſit juriſdictione Provincialis ſive Baronalis Iudicii.

A. XXIII.

Siquidem cum Sereniſſimus Rex, tum prædeceſſores Majeſtatis ejus Reges Bohemiæ tantum libertatis nunquam uſurpaverunt, aut etiamnum uſurpant, ut Iudicio Provinciali ſe non ſiſtant: eapropter nec potuit Regia ejus Majeſtas nec poteſt ulli tantam libertatem largiri, contra ſtatuta & libertates Regni Bohemiæ.

N v m. XXIII.

C. V.

Sereniſſimus Rex conſenſit, ut Majeſtas ejus, prout antiquitus moris fuit, in jus vocari poſſit. Sed citatio debet per apparitorem Procuratori Regiæ ejus Majeſtatis inſinuari: idemque Procurator (aut cuicunque Majeſtas ejus convenientia mandata eam in rem dederit) vicem Majeſtatis ejus in judicio litigare, eandemque cauſam defendere.

Similiter & Majeſtas ejus alios in jus ſecundum veterem conſuetudinem per procuratorem ſuum (aut quemvis alium, cui id mandaverit) vocare debet.

D. III.

Quod autem ſubditos Regiæ Majeſtatis, qui ſunt in ſatrapiis ſive ditionibus Regiis, attinet; Satrapæ Regii iiſdem hominibus præfecti debent vicem eorum jus, quod ipſis debetur, perſequi, & cum ipſi in jus vocare alios, tum eadè ratione aliis quod ſuum eſt tribuere, eoſdemque homines judicio ſiſtendi cauſa in jus vocare.

M.XXXV.

M. XXXV.

Familiæ fugitivæ & ſubditorum profugorum è Satrapiis ditionibuſve Regis non exhibitorum cauſa debent præfecti in jus vocari, qui ſunt in arcibus Regis & ſubditos Regios regunt. Idemq; præfecti ſive ſatrapæ ſimiliter alios in jus vocare poſſunt.

T. H.

Quod ditiones & fundos Regiæ Majeſtatis attinet, quos nunc poſſidet aut in poſterum poſſidebit, ii hoc ſtatuto & lege, qua cujuſque modi generis venationem, omnibus interdicuntur. Quod ſi quis ex Statibus contra hoc ſtatutum in ditionibus Majeſtatis Regiæ venandi cauſa ambulaverit equitaveritve, aut familiam ſuam eodem miſerit: is fiſco Regiæ Majeſtatis centum ſexagenas groſſorum Bohemicorum mulctæ nomine pendito.

Sin famulitium alienjus inſcio domino ſuo (Barone, Equite vel cive) id fecerit, eandem mulram ſubito. Cujus mulræ nomine Satrapa, ditioni illi Regiæ Majeſtatis (in qua venatio fuerit exercita) præpoſitus, experiri poterit.

Sed quod homines ruſticos & humiles concernit & c. Si dominus talis hominis qualicunque ſub prætextu eum exhibere detrectaverit: tum Satrapa Regius poterit eundem dominum ſiſtendi hominis illius cauſa coram præſidibus ejus diſtrictus, in quo ditiones illæ Regiæ vel fundi ſitæ fuerint, in jus vocare.

NUM. XXIV.

Obligatio Ferdinandi I de conſervatione privilegiorum Bohemicorum. V. Deduct. Num. XXXVIII.

NUM. XXV.

Cæſaris Matthiæ reverſales & univerſalis Obligatio. V. Deduct. Num. LXIV.

NUM. XXVI.

Statuta Marchionatus Moraviæ,

Conſenſu Cæſareæ Majeſtatis &c.

Et mandato omnium quatuor Ordinum,

Recuſa Anno Domini MDCIV.

FOL. 7.

Conſtitutio pacis publicæ.

Sub Cæſare Rodolpho, Domino noſtro.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Amen.

Nos Rudolphus II, Dei gratia electus Romanorum Imperator, &c.

Et nos Iohannes, Epiſcopus Olomucenſis, Sdenko Leo de Roſenthal & Blatna in Kaunicz, Promarchio Moraviæ, &c.

Ex Ordine Equeſtri, Bohuſlaus Kokotsky de Kokot in Laſchkow, ſupremus Iudex Curiæ Marchionatus Moraviæ, &c.

Et Conſules atque Senatus populique Civitatum, &c.

Palam facimus tenore præſentium, nos hac publica ſcripta ſanctione pacem communem juxta veteres Marchionatui huic ſalutares articulos conſtituiſſe, valideque conſtituere hoc diplomate: itaut nos (Cæſar, ceu Rex Bohemiæ & Marchio Moraviæ) ac omnes incolæ ejuſdem Marchionatus, omnia hoc diplomate comprehenſa illibata inviolataque ſub bona Chriſtiana noſtra fide, ut honeſtos & fidei ſuæ ſervantes homines decet, ſervate teneamur, &c.

FOL. 9.

Quiſque noſtrum, quod juſtum fuerit, ſubire debet, ſive ſententiis Baronum vel actionibus judicialibus quibuſcunque, prout antiquitus in eodem Marchionatu moris fuit, parere.

Nec quiſquam alterum vi adoriri, ſed pacare jus ſuum perſequi, & omnibus ſententiis Baronum (prout latæ fuerint) ſatisfacere.

Item nemo debet ob quamcunque privatam cauſam quenquam confinem extra hanc in aliis provinciis vi aggredi, citra conſenſum Regis & noſtri Baronum atque omnium provinciæ incolarum, &c.

Item ſi quis obſequium Regi, Promarchioni & Baronibus præſtare pertinaciter detrectaverit, & jus ſive ipſe pati ſeu tribuere aliis refragatus fuerit: contra eum Rex, Promarchio & nos omnes debemus inſurgere, & in ordinem ipſum cogere &c.

FOL. 13.

Concordibus etiam votis pacti ſumus, ſi quis nos nunc aut à morte Regis Domini noſtri præter fas & æquum ordinationeſque & libertates noſtras ad quidquam cogere, ac ſuæ libidini ſubigere, tentaverit; tum ut nobis mutuo opem feramus, nec deſeramus alii alios, aut invicem deſciſcamus, ſed ex communi voluntate id agamus, quod Marchionatui huic ſecundum libertates noſtras utile & glorioſum fuerit, &c.

Quod ſi quis voluntati Regis, Promarchionis & Baronum noſtræque huic conſtitutioni ſe inſolenter opponere ſuſtinuerit, inſtrumentumve ſui in eam conſenſus conficere & dare noluerit: is ordine (in quo conſtitutus eſt) moveri, & facultates ejus Regi ac provinciæ cedere, debent.

Datæ in Regia noſtra Pragæ, feria quinta poſt S. Felicis, Anno Domini MDLXXIX.

FOL. 19.

Diploma Regis WLADISLAI, inclytæ memoriæ: quo ſancit, ut judicium provinciale vigorem ſuum obtineat, ad verbum ſic ſonans.

Nos Wladiſlaus, Dei gratia &c.

FOL. 25.

Quod ſi contingat, permiſſu divino quem ex Baronibus vita fungi, alium in ejus locũ cum conſenſu noſtro aſſumere debent.

Item, ſi quis Præfectorum Provinciæ mortem obeat, alium ei ſubſtituere poterimus cum conſilio Baronum (ex familiis tamen Baronalibus & non aliis) exiſtimationem integram facultatesque in eadem provincia ſufficientes habentem.

Datum Budiæ, ſabbato poſt S. Andreæ Apoſtoli, Anno à nato filio Dei MCCCCXCII.

FOL. 27.

Quomodo Rex in ius vocari debeat.

In jus vocari Rex vel Marchio poteſt ac ſolet. At viator non debet ad Majeſtatem ejus mitti, ſed duo Illuſtres Barones. Quod ſi humiliores ad ejus Majeſtatem mittantur, actionem exceptione elidet.

elidet. Et ſi Rex intra provinciam ſit, per duos Barones provinciæ res ei denuncianda eſt. Sin autem ſit extra provinciam, tum is qui Regem in jus vocat, duos Barones convenire & rogare debet, ut libellum ejus literis ſuis includant & Regi tranſmittant. Qui incluſum ipſius ſumtu mittere debent. Rex vero æque ac alii ad eundem libello (ſuo tamen more) reſpondere tenetur, Rogatique illi Barones debent id facere & Regi denunciare ſine controverſia.

IBIDEM.

His ex cauſis Rex in jus vocari poteſt.

I. Cauſa ditionum ſuarum, quas Rex vel ſucceſſores ejus in hoc Marchionatu poſſederint.

II. Si Rex vel ſucceſſores ejus aut etiam Satrapæ Regii præter jus & fas alicujus poſſeſſiones vel fundos invaſerint.

III. Si cui Rex aliqua ſua bona tranſcripſerit, & de evictione ipſi caverit.

IV. Si quis incolarum hujus Marchionatus pro Rege fidejuſſerit, & poſtea de ſuo coactus ſolverit.

Talibus in cauſis Rex per ſuum in hoc Marchionatu ſubcamerarium, vel cuicunque alii Regia ejus Majeſtas convenienna eam in rem mandata dederit, quoties (cum ea reverentia, quæ Regi debetur, ac prædeceſſoribus Regiæ ejus Majeſtatis exhiberi eſt ſolita) in jus vocatus fuerit, comparere & reſpondere tenetur.

Similiter ſi Rex quem in jus vocare velit, loco Regiæ ejus Majeſtatis per Subcamerarium vel alium Majeſtatis ejus mandatarium id fiat.

FOL. 35.

Iuramentum Promarchionis.

* Seipſum nominat.

† Nominat Regem.

Ego N. * Promitto & juro Deo Omnipotenti, Matri Dei & omnibus ſanctis, Sereniſſimoque Principi ac Domino, Domino N. † & omnibus Statibus Marchionatus Moraviæ, me in hoc officio Promarchionatus egeno & diviti juſtitiam adminiſtraturum, veritati patrocinaturum, injuriam vero damnaturum, & ſecreta conſilii celaturum, nec unius præ altero gratiam captaturum,

turum, ſed ita fideliter officio iſto functurum, ut antiquitus eidem officio lex dicta eſt. Ita mihi opitulentur Deus Omnipotens, Mater Dei, & omnes ſancti.

Iuramentum ſupremi Camerarii.

Ego N. Iuro Deo Omnipotenti, Matri Dei, omnibus ſanctis, & Sereniſſimo Principi ac Domino, Domino N. atque omnibus Statibus Marchionatus Moraviæ, quod velim & debeam officium ſupremi Camerariatus Marchionatus Moraviæ, qua tabulas & cætera ad officium meum pertinentia, fideliter, rite & juſte adminiſtrare, inopi & locupleti, eccleſiaſtico & ſæculari juſtitiam (quoad intellectu meo aſſequi potero) citra gratiam odiumve aut qualiumcunque largitionum reſpectum impertiri, & ſecreta conſilii celare. Ita mihi opitulentur &c.

FOL. 36.

Iuramentum ſupremi Iudicis.

Ego N. Iuro Deo Omnipotenti, Matri Dei, & omnibus ſanctis, Sereniſſimoque Principi ac Domino, Domino N. & omnibus Ordinibus Marchionatus Moraviæ, quod velim & debeam officium ſupremi Iudicis Marchionatus Moraviæ, qua tabulas & cætera ad idem officium meum pertinentia, fideliter & juſte adminiſtrare, pauperi & diviti, eccleſiaſtico & ſæculari juſtitiam (quoad intellectus meus ſe exeret) nullo gratiæ aut odii vel donorum qualiumcunque habito reſpectu impertiri, & ſecreta conſilii celare. Ita mihi opitulentur &c.

FOL. 37.

Iuramentum Primiceris vel Secundiceri.

Ego N. Iuro Deo, Matri Dei, omnibus ſanctis, & Sereniſſimo Principi ac Domino, Domino N. omnibuſque Ordinibus Marchionatus Moraviæ, quod velim & debeam officium Primiceriatus, qua tabularium & chartophylacium nec non cætera ad officium meum pertinentia, fideliter, rite & juſte adminiſtrare, tenui & opulento clerico & laico juſtitiam citra gratiæ, odii vel ullius muneris reſpectum impertiri. Ita mihi opitulentur &c.

NUM. XXVII.

Regis Ladiſlai Iuramentum limitaneum. V.Ded.Num.6.

NUM. XXVIII.

Regis Georgii Iuramentum. Vide Deduct. Num. 7.

NUM. XXIX.

Litera Regis Wladiſlai &c. Vide Deduct. Num.8.B.1.

NUM. XXX.

Fridericus II confirmat electionem Wenceſlai &c.
Vide Deduct. Num. 1.

NUM. XXXI.

Imperatoris Rudolphi reverſales. Vide Deduct. Num. 14.

NUM. XXXII.

Archiducis Matthiæ reverſales. Vide Deduct.Num.15.

NUM. XXXIII.

Matthiæ reverſales ante ejus in Bohemiam expeditionem.
Vide Deduct. Num. 61.

NUM. XXXIV.

Matthiæ reverſales ante eius coronationem.
Vide Deduct. Num. 62.

NUM. XXXV.

Privilegium Friderici Imperatoris &c.
Vide Deduct. Num. 16.

NUM. XXXVI.

Aurea Bulla Caroli IV Imperialis. Cap. VII.

Ne inter Principum ſæcularium Electorum filios, ſuper jure, voce, & poteſtate præfata Regem Romanorum eligendi & in Cæſarem promovendi, futuris temporibus ſcandalorum & diſſenſionum poſſit materia ſuſcitari: &c.

Statuimus, & Imperiali autoritate præſenti lege perpetuis tempo-

temporibus valitura decernimus: ut, poſtquam iidem Principes Electores ſæculares (& eorum quilibet) eſſe deſierint, jus, vox & poteſtas electionis hujuſmodi ad filium ſuum primogenitum legitimum laicum, illo vero non exiſtente ad ejuſdem primogeniti primogenitum ſimiliter laicum, ſine contradictione cujuſpiam devolvatur.

Si vero primogenitus hujuſmodi abſque heredibus maſculinis legitimis laicis ab hac luce migraret, virtute præſentis Imperialis edicti, jus, vox & poteſtas electionis prædictæ ad ſeniorem fratrem laicum per veram paternam lineam deſcendentem & deinceps ad illius primogenitum laicum devolvatur.

Et talis ſucceſſio in primogenitis & heredibus Principum, eorundem jure, voce & poteſtate præmiſſis, perpetuis temporibus obſervetur: ea tamen conditione & modo, ut, ſi Principem Electorem vel ejus primogenitum aut filium ſeniorem laicum mori & heredes maſculos legitimos laicos defectum ætatis patientes relinquere contingeret, tunc frater ſenior ejuſdem primogeniti tutor eorum & adminiſtrator exiſtat, donec ſenior ex eis legitimam ætatem attigerit, quam in Principe Electore decem & octo annos completos cenſeri volumus. Quam dum attigerit, jus, vocem & poteſtatem & omnia ab ipſis dependentia tutor ipſe ſibi totaliter cum officio teneatur protinus aſſignare.

Si vero aliquem ex hujuſmodi Principatibus Imperio Sacro vacare contingeret, tunc Imperator ſeu Rex Romanorum (qui pro tempore fuerit) de ipſo providere debebit & poterit, tanquam de re ad ſe & Imperium legitime devoluta.

Salvis tamen ſemper privilegiis & conſuetudinibus Regni noſtri Bohemiæ ſuper electione Regis, in caſu vacationis per Regnicolas, qui jus habent eligendi Regem Bohemiæ, facienda, juxta continentiam eorundem privilegiorum (& obſervatam conſuetudinē diuturnam) à Divis Romanorum Imperatoribus ſive Regibus obtentorum: quibus ex hujuſmodi ſanctione Imperiali in nullo præjudicari volumus,

imo ipſa decernimus nunc & perpetuis futuris temporibus in omni ſuo tenore & forma indubiam tenere roboris firmitatem.

N V M. XXXVII.

Recognitio Ferdinandi I Imperatoris de libera electione Bohemica. Vide Deduct. Num. 13.

N V M. XXXVIII.

Caroli IV Confirmatio privilegii Friderici &c. Vide Deduct. Num. 19.

N V M. XXXIX.

Apographum Regis Ferdinandi novarum ſubrepticiarum reverſaltum. Vide Deduct. Num. 36.

N V M. XL.

Renunciatio ſucceſſionis Bohemicæ facta per Leopoldum Ducem Auſtriæ. Vide Deduct. Num. 28.

N V M. XLI.

Rodolphi Ducis Auſtriæ renunciatio ſucceſſionis Bohemicæ. Vide Deduct. Num. 29.

N V M. XLII.

Renovatio pacti reciproci de ſucceſſione Bohemica & Auſtriaca. Vide Deduct. Num. 30.

N V M. XLIII.

Ferdinandi Archiducis Auſtriæ pactum cum Rege Hiſpanarum, &c. Vide Deduct. Num. 49.

N V M. XLIV.

Reverſales literæ cum renunciatione prætenſæ ſucceſſionis. &c. Vide Deduct. Num. 50.

N V M. XLV.

Ratificatio Cæſaris Mathiæ factæ tranſactionis, &c. Vide Deduct. Num. 51.

N V M.

NVM. XLVI.

Confirmatio privilegiorum Regni Bohemiæ.
Vide Deduct. Num. 31.

NVM. XLVII.

Atteſtatio Iohannis Marchionis Moraviæ &c.
Vide Deduct. Num. 39.

NVM. XLVIII.

Archiducum Auſtriæ Confœderatio &c. V. Ded. Num. 48.

NVM. XLIX.

Richardi Cæſaris inveſtitura &c. V. Deduct. Num. 2.

NVM. L.

Regis Wladiſlai Diſpoſitio de Duce Anna &c.
Vide Deduct. Num. 8 B. 2.

NVM. LI.

Cæſaris Friderici inveſtitura Regi Wladiſlao collata.
Vide Deduct. Num. 27.

NVM. LII.

Atteſtatio Regis Poloniæ &c. Vide Deduct. Num. 45.

NVM. LIII.

Teſtimonium Officialium Tabularum Regni &c.
Vide Deduct. Num. 37.

NVM. LIV.

Articuli in publicis Comitiis circa S. Franciſci Anno MDXXVI *concluſi.* Vide Deduct. Num. 10.

NVM. LV.

Ex Statutis Regni Bohemiæ.

B. III.

Iuramentum ſupremi Burggravii Pragenſis.

Iuro Deo, omnibus ſanctis, Sereniſſimo Principi ac Domino, Domino Ferdinando, Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ, &c.

 Regi,

Regi, &c. tanquam Regi Bohemiæ, & Regiæ ejus Maieſtatis heredibus, aut quiquis poſtea futurus eſt Rex, omnibuſque Baronibus, Equitibus & univerſo populo Regni Bohemiæ, opulento & inopi, me in hoc officio (ad quod adſcitus ſum) ſupremi Burggraviatus Pragenſis veritati patrocinaturum & injuriam damnaturum, nec ſecus facturum gratiæ vel odii aut cujuſcunque alius rei cauſa. Ita mihi Deus opituletur, & omnes ſancti.

NVM. LVI.

B. VII.

Iuramentum præfecti Arcis Pragenſis.

Iuro Deo, omnibus ſanctis, Sereniſſimo Principi ac Domino, Domino Ferdinando, Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ, &c. Regi, &c. tanquam Regi Bohemiæ, Regiæque ejus Maieſtatis heredibus, omnibus Baronibus & Nobilibus totique Communitati Regni Bohemiæ, me hoc officium (ad quod vocatus ſum) præfecturæ arcis Pragenſis fideliter & recte geſturum, prædictam arcem eadem fide cuſtoditurum, & Regiæ Maieſtati obſecundaturum: Sin Deus Sereniſſimum Regem ſine heredibus decedere ſivit, (quod Deus prohibeſſit) tum ad neminem alium qua eandem arcem ullum reſpectum habiturum, quam ad ſupremum Burggravium Pragenſem. Ita mihi Deus ſit propitius, & omnes ſancti.

NVM. LVII.

B. VIII.

De Iuramento Burggraviorum Karolo-ſchteinenſium, & eorum officio.

Iuramus Deo, omnibus ſanctis, Sereniſſimo Principi ac Domino, Domino Ferdinando, Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ, &c. Regi, &c. tanquam Regi Bohemiæ, & Maieſtatis ejus heredibus legitime ex ea deſcenſuris, omnibuſque Baronibus, Equitibus, Nobilibus & univerſo populo Regni Bohemiæ, quod dictam arcem Karolo-ſchteinium cum corona & omnibus libertatibus atque cimeliis Regni, quemadmodum eadem arx cum omnibus prænominatis rebus nobis ceu Burggraviis Karolo-ſchteinenſibus à Sereniſſimo Rege, Baronibus, Equitibus & tota Commu-

Communitate Regni Bohemiæ concredita eſt, fideliter & diligenter cuſtodituri ſimus, & in omnibus iis rebus fidem noſtram Sereniſſimo Regi, Majeſtatis ejus heredibus, & toti Regno, probaturi. Quod ſi Deus Sereniſſimum Regem Dominum noſtrum clementiſſimum abſque heredibus decedere permittat; tum arce Karolo-ſchteinenſi nemini cedere debemos, nec Coronam exhibere, *donec Barones, Equites & univerſa Communitas Regni Bohemiæ concordibus ſuffragiis de Rege convenerint, eumque re ipſa elegerint*, & Dominum ſibi (ſecundum conſuetudinem, jus & libertatem Regni Bohemiæ, *prout antiquitus moris fuit*) arrogaverint: tumque extemplo debemus & pollicemur Coronam ſine controverſia Baronibus, Equitibus & toti Communitati tradere, nullo prætextu nos contra munituri, quem mens humana concipere queat. Et poſt coronationem, quandocunque moniti fuerimus, debemus futuro Regi etiam Karolo-ſchteinium in poteſtatem transdere. Sin in totum vel ex parte (quod Deus avertat) ſecus faciamos, tum agnoſcimus nos facturos contra noſtram integritatem, eoque famam, vitam & facultates perdituros, nunquam ad ea in æternum reſtitui valituros. Ita nos Deus adjuvet, & omnes ſancti.

Num. LVIII.

F. XVII.

Si quis alteri & liberis ejus bona ſua transſcribat, tantum inde fœmellis, quantum maſculis, cedit. Nec quiſquam ex iiſdem liberis in fraudem aliorum eadem bona per cauſam debiti obligare poteſt. Sed transſcriptoris nomina ſimul exolvere debent. Sin transſcriptio heredibus fiat, in ſolos maſculos redundabit.

Num. LIX.

Inveſtitura Rudolphi I de Regno Bohemiæ.

Vide Deduct. Num. 18.

Num. LX.

Maximiliani II epiſtola, qua gratias agit Statibus &c.

Vide Deduct. Num. 44.

Num. LXI.

Matthiæ Imperatoris confirmatio tranſactionis Hiſpanicæ. Vide Deduct. Num. 52.

Num. LXII.

Promulgatio Comitiorum, ſucceſſoris deſignandi cauſa conſcriptorum.

Matthias, &c.

Fideles dilecti, Notum vobis facimus, quod arbitrio & inſtinctu Omnipotentis Dei, ſalutem Regni noſtri Bohemiæ & omnium trium Statuum atque incolarum fidelium & obſequentium ſubditorom noſtrorum animo verſantes, graviſſimis & urgentiſſimis ex cauſis conſtituimus vobiſcum de ſucceſſore & futuro Rege Bohemiæ (ſi nos Deus ſine heredibus maſculis ex hac vita evocet) certis legibus eaemplo prædeceſſorum noſtrorum agere. Quam ſolam & unicam ob cauſam Comitia ad feriam ſecundam poſt Domioicam item ſecundam à ſolenni feſto Trinitatis ſive ad quintum diem Menſis Quintilis imminentem per hoc edictum in arcem Pragenſem conſcribimus, univerſis & ſingulis clementer injungentes, ut ad prædictum diem (nihil vos remorari præter vim divinam ſinentes) Pragam certo cooveniatis, & mox poſtridie ſive feria tertia tanto maturius citra ulteriorem concitationem propoſitionis Comitialis audiendæ cauſa coram oobis in palatio ejuſdem arcis Pragenſis vos ſiſtatis: oulli dubitantes, quod gnari tantæ neceſſitatis obſequentes vos præſtituri ſitis, & propoſitione noſtra Comitiali (præter quam nihil aliud in iiſdem Comitiis tractari debet) percepta rem ipſam oobiſcum condigne deliberaturi definiturique. Sin qui non venerint, ac domi contra hoc certum & clemens noſtrum mandatum (quod tameo de nemine ſuſpicamur) manſerint: tum nihilominus ii, qui conventuri ſunt, nobiſcum conſultandi & ſtatuendi poteſtatem habebunt, cæteri autem ſtatutis parere obligabuntur. E civitatibus vero noſtris mandatarii ad eundem actum Comitialem & ſolam ſupraſcriptam cauſam deſtinantor. Nec quiſquam aliter facito. Datum in

Regia

d by Google

Regia noſtra Pragæ, feria ſecunda memoriæ Sanctorum Philippi & Iacobi Apoſtolorum Domini ſacra, Anno MDCXVII.

NVM. LXIII.

Ex Comitiis anni MDCX.

titulo,

Negotia publica in ſingulis Comitiis deliberari debent.

Cæſareæ Majeſtati & Statibus placuit, ut in poſterum quibuſvis in Comitiis (quæcunque à Cæſarea Majeſtate aut futuris Regibus Bohemiæ fuerint indicta) poſt terminationem rogationum Comitialium etiam publica negotia vel ſingulorum quoque privata proponantur, deliberentur, determinentur que, & ante ſolutionem Comitiorum ac peractam relationem Comitialem conſcribantur, definiantur, pertinentiaque in numerum ſcitorum Comitialium inter eadem referantur, ac quiſque poteſtatem habeat neceſſitatem ſuam in Comitio proponendi: nec prius relatio Comitialis peragatur, quam publica illa negotia, una cum propoſitione Cæſareæ Majeſtatis, deliberata deciſaque fuerint.

NVM. LXIV.

Litera Principum & Ordinum Sileſiæ Auguſtanæ Confeſſionis ad Status Bohemicos ſub utraque.

Officia noſtra cum plurima ſalute, Illuſtres Domini Barones, Nobiles & Strenui Equites, Honoratique & Prudentes viri, amici noſtri, & Domini clementes atque gratioſi, Dom. Veſtris nuncupamus, &c.

Præterea cives ſuperioris-Glogoviæ in Ducatu Oppolienſi Confeſſioni Auguſtanæ addicti graviter conqueſti ſunt: quod inſignes injurias religionis cauſa experiantur, nullo reſpectu privilegii abs Regina Eliſabetha anno 1588 Byſchicu ſibi eam in tem dati (quod in hunc uſq; diem in Curia ſuperioris-Glogoviæ præ manibus habetur, poteſtatem ipſis in perpetuum tribuens templa Evangelica in civitate ædificandi, concionatores adoptandi, ſcholas pro juventute erigendi, & cuique nullo religionis diſcrimine abſque omni controverſia jus civitatis impertiendi. Quare, cum idem etiam literis Majeſtatis luculenter confirmatum

 eſſet,

eſſet, & diverſis decretis ſtructura templi atque ſcholæ ipſis mandata, tandem quoque ligneum templum & ſcholam exſtruxerunt.)

Quamvis enim Dominus Rudolphus de Opperſchtorff, cum poſſeſſionem ditionis ſuæ iniret, protectionem quà liberum religionis exercitium ipſis promiſiſſet: poſtea tamen quod vocatis in Curiam per Senatum ſignificari curaverit, Cæſareæ Majeſtatis & novi Regis ſeverum eſſe mandatum, ut exercitium religionis miſſum faciant, cui niſi paruerint, ſe templum obſignaturum, fabrum autem lignarium, qui prædictam ſcholam exſtruxit, cum altero ipſius collega quod in carcerem conjici fecerit.

Qua in re equidem illi noſtrum imploravere auxilium: Nos vero literis ad eundem Opperſchtorffium datis diploma Majeſtatis, & quid tantas enormitates conſequi poſſet, ei ſufficienter explicavimus. Sed interea prænominatus Dominus Rudolphus de Opperſchtorff eandem ditionem fratri ſuo majori Domino Georgio de Opperſchtorff vendidit. Qui fratris veſtigiis inſtitit, & gravius etiam (quam antea frater) illos afflixerat. Nam cum homagium ſibi ab eis præſtari vellet, ipſi autem, memores quid ſibi in religionis cauſa jam ante ſignificatum eſſet, revera contigiſſet, ante præſtationem homagii de libertate exercitii religionis (neque enim novum eſt ſubditos ſecuritati privilegiorum ſuorum incumbere) ſibi caveri peterent; idem Dominus Opperſchtorffius ita ipſos vexavit, ut Auguſtanæ Confeſſioni addictos primo in Curia concluſerit, deinde vero in altum carcerem duci juſſerit, & (cum ſe opponerent) præconi mandaverit, ut ipſos flagitioſos in foro palam proclamaret: cumque idem præco id facere dubitaret, loco & munere eum demoverit, atque illos edictis publice affixis rebelles, perfidos, infames, pacirupas & extreme ſceleſtos homines promulgaverit.

Item jus civitatis nonnullis denegatum, junioribus artificibus opificia interdicta, omnigenæ fundorum obligationes & negociationes ſub pœna viginti ſexagenarum prohibitæ, atque ita cum ipſis actum, ut nihil tale etiam ante literas Majeſtatis in Sileſia auditum ſit.

Quo nomine cum diverſa ad ipſum mandata à ſupremo Capitaneo

Digitized by Google

pitaneo dirigerentur, ſuo illi facto hoc obtendit, quod non propter religionem, ſed alias politicas ob cauſas in eoſdem Auguſtanæ Confeſſioni addictos homines ita animadverſum fuerit: non recordatus juxta principii à fratre profecti, & denunciationis factæ, quod Cæſareæ Majeſtatis & novi Regis ſeverum eſſet mandatum exercitio religionis deſiſterent, ſecus templum à ſe obſignatum iri: Romano-Catholicis autem quod nunquam jus civitatis negatum, nec fundorum obligationes aut negociationes inhibitæ fuerint: quodque Auguſtanam Confeſſionem amplectentibus inſinuari mandaverit, ſi ſub una communicaverint, tum & opificia & fundorum obligationes negociationeſque habituros libera, &c. Datum Wratiſlaviæ in conventu Principum & Ordinum, XXIV Maji, Anno MDCXVIII.

NN. *Principes & Ordines Auguſtanæ Confeſſioni addicti in Superiori & Inferiori Sileſia.*

N V M. LXV.

Litera Ferdinandi Regis ad Conſiliarios Gracenſes ſcripta. Vide Deduct. Num. 65.

N V M. LXVI.

Regis Ferdinandi mandatum Bucquoyo datum. Vide Deduct. Num. 66.

N V M. LXVII.

Epiſtola Archiducis Matthiæ deſignati Regis Bohemiæ ad Imperatorem Rodolphum.

Sereniſſime, &c. Ex incloſis Cæſarea Veſtra Majeſtas & Dilectio percipiet, quid à me omnes tres Status Bohemiæ ſub utraque & à Cæſarea Veſtra Majeſtate Dilectioneque petant. Cum autem ego revera nihil certi compertum habeam, quid hactenus toto iſto tempore inter Cæſaream Veſtram Majeſtatem ac Dilectionem & prædictos Status intervenerit, pactumque illud inter Cæſaream Veſtram Majeſtatem & me non ita pridem factum cum primis oculis obverſetur meis, quo ei (ut hactenus) ita etiam in poſterum fraterne ſatisfaciam: & ſupra ſcripti Ordines nihil

præter interceſſionem à me tam ſollicite poſtulent, prætereaque nihil proponant, non potui hoc ipſis denegare: nihil ambigens, (quoniam mihi, ut ſupra innui, nequidquam de re ipſa certi conſtat) Cæſaream Veſtram Majeſtatem & Dilectionem, tanquam Regem & Dominum eorum, ſe ipſis (ut fas erit) clementer accommodaturam, & hanc meam epiſtolam benigne interpretaturam. Qui me Cæſareæ Veſtræ Majeſtatis atque Dilectionis fraterno & ſincero amori impenſe commendo. Data Viennæ, 23 Aprilis, Anno MDCIX.

Matthias.

FINIS.

Z 553 — 3

52 547555